CALCIS HYDRAS. Acido hydrochlorico diluto sine effervescentiâ liquatur. Hic liquor, ammoniâ adjectâ, nihil demittit.

CALX, aquâ adjectâ resoluta in pulverem fatiscit. Cætera ut in præcedente.

CALX CHLORINATA. Acido hydrochlorico diluto liquatur, chlorinium emittens.

CARBO ANIMALIS, (*purificatus*) acido hydrochlorico adjecto nullas bullulâs emittit; nec quicquam ex hoc acido demittitur, adjectâ vel ammoniâ, vel ammoniæ sesquicarbonatè.

CORNU. Hoc postquam benè-ustum fuerit, ex acido nitrico propèmodum liquatur; tum per ammo-

niæ oxalatem separatur calx; per plumbi autèm nitratem separatur acidum phosphoricum.

CREASOTON, oleosum, coloris expers, odore proprio, translucens, ebullit calore gradûs 397^{mi}. In caloris gradu —50^{mo} non congelatur. In acido acetico liquatur.

CRETA, acido hydrochlorico diluto cum effervescentiâ tota liquatur. Hic liquor, ubi coctus fuerit, ammoniâ instillatâ, nihil demittit.

CUPRI SULPHAS (*crystalli*). Aëre in pulverem subviridem quam minimè fatiscit. In aquâ omnis liquatur. Quicquid hic liquor, adjectâ ammoniâ, demittit, id ejusdem ammoniæ excessus iterùm dissolvit.

CUPRI AMMONIO-SULPHAS. Calore in Cupri oxydum mutatur, ammoniam ejiciens. Aquâ liquata curcumæ colorem mutat et viridem colorem induit ex infuso acido arsenioso.

FERRI PERCYANIDUM purum erit, si, cum acido hydrochlorico diluto coctum et colatum nihil demittat, adjectâ ammoniâ.

FERRI AMMONIO-CHLORIDUM. In spiritu tenuiori et in aquâ totum liquatur. Hic liquor, adjectâ potassâ ferri sesquioxylum demittit; potassâ suprâ modum instillatâ, ammoniam ejicit.

FERRI IODIDUM. Calore vapores violaceos emittit, ferri sesquioxido superstito. Recens præparatum in aquâ totum liquatur. Ex hoc liquore autem, in malè operto vase, sesquioxylum ferri citissimè dejicitur ut, non nisi filo ferri intromisso et vase bene obturato, limpidum servari possit.

FERRI POTASSIO-TARTRAS. In aquâ tota liquatur.

Hic liquor lacmi et curcumæ colorem non mutat. Nec a potassii ferrocyanido cœruleum fit; neque adjecto quovis alkali aut acido quicquid dejicitur. Magnes in ejus pulverem nullam vim exercet.

FERRI SESQUIOXYDUM. In acido hydrochlorico diluto, quam minimâ effervescentiâ totum liquatur; idque per ammoniam dejicitur.

FERRI SULPHAS (*crystalli*). Cœruleo-viridis, in aquâ liquatur. Hic liquor, ferro immisso, nihil cupri demittit.

HYDRARGYRUM (*purificatum*). Calore totum in vapores abit. Idem acido nitrico diluto liquatur, in acido hydrochlorico fervente non item. Hoc ubi refrixerit, acido hydrosulphurico immisso, nihil demittit nec coloratur. Hujus pondus specificum est 13.5.

HYDRARGYRUM CUM CRETA. Calore pars in vapores abit; quod restat coloris expers est et in acido acetico cum effervescentiâ liquatur. Hic liquor, acido hydrosulphurico immisso, non coloratur. Vix autem tam diligentèr hæc conteri possunt, ut globuli nulli ampliùs conspiciantur.

HYDRARGYRI OXYDUM (*cinereum*). Paulispèr cum acido hydrochlorico digestum et colatum nihil indè, vel liquore potassæ, vel ammoniæ oxalate adjecto, demittit. In acido acetico omne liquatur. Calore in vapores totum abit.

HYDRARGYRI BINOXYDUM (*rubrum*). Admoto calore oxygenium amittit, et hydrargyrum vel in globulos coit, vel in vapores totum abit. Acido hydrochlorico omne liquatur.

HYDRARGYRI NITRICO-OXYDUM. Admoto calore, va-

pores nitricos nullos emittit. Nihil ex aquâ, in quâ coctum seu lotum fuerit, liquore calcis aut acido hydrosulphurico adjecto, demittitur. Cætera superiori respondent.

HYDRARGYRI AMMONIO-CHLORIDUM. Calore totum in vapores abit. Idem cum acido acetico digestum, nihil indè flavum aut cœruleum, potassii iodido adjecto, demittit. Pulvis ejus cum liquore calcis contritus non nigrescit. In acido hydrochlorico sine effervescentiâ omne liquatur. Idem liquore potassæ calefactum ammoniam exhalat et colorem flavum induit.

HYDRARGYRI CHLORIDUM. Pulvis subalbus, qui potassâ adjectâ, nigrescit, et calore adhibito, in hydrargyri globulos coit. Idem calore in vapores totus abit. Adjectâ argenti nitrate, aut liquore calcis, aut acido hydrosulphurico, nihil demittitur ex aquâ destillatâ in quâ seu lotum seu coctum sit.

HYDRARGYRI BICHLORIDUM (*crystallinum*). Calore liquefcit et sublime fertur. In aquâ et æthere sulphurico totum liquatur. Ex hoc liquore quod, adjectâ potassâ vel liquore calcis dejicitur, rubescit: vel, si quod satis sit addideris, flavescit. Id, calore adhibito, oxygenium emittit et in hydrargyri globulos coit.

HYDRARGYRI BICYANIDUM (*crystalli*). Translucet et in aquâ totum liquatur. Hic liquor, instillato acido hydrochlorico, acidum hydrocyanicum emittit, quod odore proprio dignoscitur, et in vitrum liquore argenti nitratis humectatum et super impositum, id demittit, quod ab acido nitrico fervente

dissolvitur. Calore cyanogenium ejicit, et in hydrargyri globulos coit.

HYDRARGYRI IODIDUM. Recens subflavum est, calore cautè admoto in crystallos rubros sublime fertur quæ mox flavent, deindè lumine admissio nigrescunt. In sodii chlorido non liquatur.

HYDRARGYRI BINIODIDUM. Calore cautè admoto in squamulas sublime fertur, quæ mox flavent, deindè, ubi refrixerint, rubescunt. In spiritu rectificato fervente pars aliqua liquatur, quæ, ubi refrixerit, in crystallos descendit. Potassii iodido et hydrargyri bichlorido vicissim dissolvitur ac demittitur. In sodii chlorido omne liquatur.

HYDRARGYRI BISULPHURETUM (*rubrum*). Calore in vapores totum abit, et adjectâ potassâ hydrargyrum in globulos coit. Nec acido nitrico, nec acido hydrochlorico, sed utrisque commixtis liquatur. Spiritus rectificatus, quocum seu lotum seu coctum sit, colorem indè nullum acquirit. Cum acido acetico digestum nihil indè flavum dejicit per potassii iodidum.

HYDRARGYRI SULPHURETUM CUM SULPHURE (*nigrum*). Calore totum in vapores abit, nullo carbone nec calcis phosphate relictâ.

IODINIUM, calore admoto principio liquescit, deindè violaceo vapore sublime fertur. In aquâ minimè, plùs in alcohole, liquatur. Cœruleo colore amyllum inficit.

LACMUS, et aquâ et alcohole liquatur. Color ejus cœruleus acidis rubescit; idem, adjectis alkalinis, redit.

MANGANESII BINOXYDUM, in acido hydrochlorico liquatur, chlorinium exhalans. Ex hoc liquore, quod dejicitur a potassio primùm albet, et citò fuscum fit: rarò autem accidit ut adjecto potassii ferrocyanido non viridescat. Ubi prius exsiccatum sit, et igne candente ustum, è partibus 100, pondere 12 amittit.

MAGNESIA. Acido hydrochlorico sine effervescentiâ liquatur. Nihil ex hoc liquore adjectâ vel potassæ bicarbonate, vel barii chlorido, demittitur. Curcumæ colorem in fuscum levitèr mutat.

MAGNESIÆ CARBONAS. Aqua destillata in quâ cocta fuerit, curcumæ colorem non mutat. Adjecto barii chlorido aut argenti nitrate, nihil demittit. Acido sulphurico diluto liquatur, ex 100 partibus 36.6 pondere amissis. Ubi effervescentia cessaverit, ex hoc liquore nihil demittitur per potassæ bicarbonatem.

MAGNESIÆ SULPHAS (*crystalli*). Facillimè in aquâ liquatur. Acido sulphurico huic liquori instillato, acidum hydrochloricum nullum emittitur. Gr. 100 liquatis, et injectis in sodæ carbonatis liquorem ferventem, gr. 34 magnesiæ carbonatis exsiccatæ comparantur.

MARMOR, album, acido hydrochlorico diluto cum effervescentiâ, liquatur. Ex hoc liquore, Ammonia nihil demittit, vel adjectâ calcis sulphate in aquâ solutâ non permutatur.

MEL. Non nisi despumatum adhibendum est. In aquâ liquatum, potassii iodido et acido quovis simul adjectis, colorem cœruleum non exhibet.

MORPHIA. Aquâ frigidâ minimè, fervente paululùm, alcohole facillimè liquatur. Hic liquor, teste curcumâ, vim alkalinañ exhibet et, ubi spiritus destillaverit, in crystallos abit, quæ igne totæ pereunt. Adjecto acido nitrico, primùm rubet, deindè flavet. Tinctura ferri sesquichloridi cœruleum colorem inducit. Chlorinium, ammoniâ additâ, fusco colore sales ejus inficit, qui, ubi plùs chlorinii addideris, effugit. Demittitur etiam morphia ex suis salibus per liquorem potassæ, quo suprâ modum adjecto iterùm dissolvitur.

MORPHIÆ ACETAS (*crystalli*). In aquâ facillimè liquatur. Cætera se habent quemadmodum de morphiâ dictum est.

MORPHIÆ HYDROCHLORAS (*crystalli*). In aquâ liquatur. Quod ex hoc liquore per argenti nitratem demittitur, id neque ammoniâ nisi suprâ modum additâ, neque acido hydrochlorico aut nitrico adjecto, omne dissolvitur.

OLEUM ÆTHEREUM. Odore proprio, minimè acri fruitur; in æthere sulphurico totum liquatur et nullam vim acidam in lacmum exercet. Hujus pondus specificum est 1.05.

PHOSPHORUS. Coloris ferè expers, ceræ similis, translucent, lumen in tenebris edit. In plerisque oleis destillatis et in æthere sulphurico parùm liquatur. Hic non nisi in aquâ, intercluso luminis accessu, servari debet.

PLUMBI ACETAS (*crystalli*). In aquâ destillatâ liquatur. A sodæ carbonate dejicitur alba, a potassii iodido flava. Prætereà, acido hydrosul-

phurico adjecto, nigrescit. Acidum sulphuricum adjectum odores aceticos elicit. Igne primùm liquescit et postea in plumbum redigitur.

PLUMBI DIACETATIS LIQUOR. Hujus pondus specificum est 1.260. Cætera superiori respondent.

PLUMBI CARBONAS. Acido nitrico diluto, cum effervescentiâ, liquatur. Quod ex eo, per liquorem potassæ dejicitur, albet, et eodem suprâ modum addito, iterùm dissolvitur; adjecto acido hydrosulphurico nigrescit. Igne flavescit et carbone simul addito in plumbum redigitur.

PLUMBI CHLORIDUM (*crystallinum*). In aquâ destillatâ fervente totum liquatur. Hujus liquoris major pars ubi refrixerit, in crystallos descendit. Adjecto acido hydrosulphurico fit coloris nigri. Igne flavescit.

PLUMBI IODIDUM in aquâ fervente totum liquatur, et ex eâ, ubi refrixerit, in squamulas flavas micantes descendit. Calore liquescit et in vapores primùm flavos, mox et violaceos major pars dissipatur.

PLUMBI OXYDUM (*semivitreum*). Ex acido nitrico diluto ferè totum liquatur. Cætera ut in Plumbi Carbonate præcedente.

PLUMBI OXYDUM (*hydratum*). Quod in quinæ disulphate præparandâ adhibetur, oportet ex acido nitrico diluto totum liquari possit. Cætera superiori respondent.

POTASSÆ LIQUOR. Hujus pondus specificum est 1.063. Curcumæ colorem fortitè in fuscum mutat. Acido nitrico diluto addito, vel nullas, vel perpaucas bullulas acidi carbonici emittit. De saturato liquore

nihil, aut propemodum nihil, dejectur adjectâ vel sodæ carbonate, vel barii chlorido, vel argenti nitate. Quod ex hoc liquore, vel ex quovis potassæ sale in aquâ soluto, per platini chloridum demittitur, subflavum est.

POTASSÆ HYDRAS. In aperto vase promptè liquescit. In alcohole tota solvitur. Cætera superiori respondent.

POTASSA CUM CALCE. Affusâ aquâ resoluta, quolibet acido adhibito, nullas bullulas acidi carbonici emittit. In alcohole non omnis liquatur.

POTASSÆ ACETAS. Et aquâ et alcohole tota liquatur. Hic liquor nec lacmum neque curcumam tingit. Nihil, ex eo, adjecto aut barii chlorido, aut argenti nitate, demittitur, nisi hujus liquor fortior sit, in quo casu, id, quod demissum est, acido nitrico, facilè liquatur. Igne rubente, in potassæ carbonatem tota abit. Acidum sulphuricum adjectum odores aceticos elicit.

POTASSÆ CARBONAS. In aquâ ferè omnis liquatur; tum in vase aperto, sponte suâ liquescit. Curcumæ colorem in fuscum mutat. Ubi acido nitrico supersaturata est, nihil indè demittit nec sodæ carbonas, neque barii chloridum, neque, nisi parcissimè, argenti nitras. Hujus partes 100 in igne acri 16 aquæ amittunt; tantundem adjecto acido sulphurico diluto 28 partes acidi carbonici emittit.

POTASSÆ CARBONATIS LIQUOR. Hujus pondus specificum est 1.473. Cætera superiori respondent.

POTASSÆ BICARBONAS (*crystalli*). In aquâ omnis liquatur, et curcumæ colorem levitè mutat. Nihil, ex hoc liquore, nisi calore adhibito, demittit magnesæ

sulphas. E partibus 100, expelluntur 30.7, igne rubente. Acido nitrico suprâ modum priùs addito, nihil ex hoc demittit nec barii chloridum, nec nisi parcissimè, argenti nitras.

POTASSÆ CHLORAS (*crystalli*). In aquâ destillatâ omnis liquatur. Hic liquor nihil demittit, adjectâ argenti nitrate. Calore liquescit, et si acrius urgeatur calor, oxygenium amittit, et in potassii chloridum convertitur. Acidi sulphurici minimis per paucis in crystallos instillatis, primùm flavescit sal, mox rubet, et chlorinii peroxydum exhalat.

POTASSÆ NITRAS (*crystalli*). In aquâ destillatâ omnis liquatur. Ex hoc liquore nihil, neque barii chloridum, neque argenti nitras demittit. Calore liquescit, et igne acri oxygenium edit. Ex hoc sale in pulverem trito, acidum sulphuricum vapores nitricos elicit.

POTASSÆ SULPHAS (*crystalli*). In alcohole nihil, in aquâ destillatâ paululùm liquatur. Quod ex hoc liquore a platini chlorido demittitur, subflavum est; quodque a barii chlorido, albet. Id in acido nitrico dissolvi non potest.

POTASSÆ TARTRAS (*crystalli*). Facilè in aquâ liquatur. Ex hoc liquore, acido ferè quolibet adjecto, potassæ bitartratis crystalli dejiciuntur, quæ plerumque vasi adhærent. Ex eodem liquore, quod aut a barii chlorido, aut a plumbi acetate, demittitur, id ab acido nitrico diluto dissolvitur.

POTASSÆ BITARTRAS (*crystalli*). Aquâ parcè liquatur. Lacmum colore rubro inficit. Igne rubente in carbonatem potassæ mutatur.

POTASSII BROMIDUM (*crystalli*). Aquâ totum liqua-

tur. Lacmi et curcumæ colorem non mutat. Ex hoc liquore, barii chloridum nihil demittit. Acido sulphurico et amylo simul adjectis, flavet. Igni impositum, nihil ponderis amittit. Hujus salis gr. 10 argenti nitratis gr. 14.28 permutare valent sic, ut subflavum quid, argenti bromidum, dejiciatur quod ab ammoniâ, minimè autem ab acido nitrico, liquatur.

POTASSII FERROCYANIDUM (*crystalli*). Aquâ totum liquatur. E partibus 100, leni calore exhalant 12.6. Curcumæ colorem levitèr mutat. Quod, ex præparatis è ferri sesquioxido, ab eo demittitur, cœruleum est; quodque ex præparatis è zinco, albet. Ubi ustum fuerit, quod superest ab acido hydrochlorico liquatur, atque iterùm ammoniâ adjectâ, demittitur; è partibus 100, ferri sesquioxidi 18.7 redduntur.

POTASSII IODIDUM (*crystalli*). Et aquâ et alcohole totum liquatur. Curcumæ colorem vel non omninò vel levitèr modò mutat. Lacmi colorem non mutat. Igne subjecto, nihil ponderis amittit. Acido sulphurico et amylo simul adjectis, cœruleum fit. Hujus salis gr. 10 argenti nitratis gr. 10.24 permutandis sufficiunt, quodque dejicitur, acido nitrico partim liquatur et partim facie suâ mutatur; quod non fit adjectâ ammoniâ.

POTASSII SULPHURETUM. Recens fractum exhibet colorem fusco-flavum. Aquâ vel acido ferè quolibet liquidum acidi hydrosulphurici odorem spirat. Aquâ liquidum flavet. Quod plumbi acetate dejicitur, primum rubet, deinde nigrescit.

QUINA. Alkali ex Cinchonæ Cordifoliæ cortice paratum. In aquâ non nisi acido mixtâ, facillimè autem in alcohole liquatur. Curcumæ colorem mutat; amarum sapit. In igne tota perit.

QUINÆ DISULPHAS (*crystalli*). In aquâ, præsertim acido mixtâ, tota liquatur. Ammoniâ dejicitur Quina, tum liquore consumpto, quod superest, non saccharum sapere debet. Quinæ disulphas leni calore è 100 sui partibus 8 vel 10 aquæ impertit. In igne tota perit. Primùm chlorinio, deinde ammoniâ additis, viret.

SODÆ ACETAS (*crystalli*). Aquâ tota, alcohole non omnino liquatur. Lacmi et curcumæ colorem non mutat. Non a barii chlorido, neque ab argenti nitrate dejicitur. In igne acri, in sodæ carbonatem transmutatur. Acidum sulphuricum adjectum odores aceticos elicit. Ex hoc vel ex alio quovis Sodæ sale in aquâ soluto nihil demittitur per platini chloridum.

SODÆ CARBONAS (*crystalli*). Recens præparata translucet, sed in vase aperto, in pulverem mox fatiscit. In aquâ tota liquatur, non verò in alcohole. Curcumæ colorem, ut alkalina, mutat.

SODÆ CARBONAS EXSICCATA. In hoc sale exsiccando, crystallorum suprâ descriptarum partes 100 aquæ partes 62 emittunt in igne acri. Cætera nihil mutantur.

SODÆ SESQUICARBONAS. In aquâ tota liquatur. Ex hoc liquore, nec platini chloridum neque magnesiæ sulphas, nisi calore admoto, quicquam demittit. In igne acri in sodæ carbonatem exsiccata convertitur.

SODÆ CARBONATIS LIQUOR EFFERVESCENS. Lacmi color cœruleus in hoc liquore principio rubescit, mox calore adhibito, ubi cessaverit effervescentia, idem redit.

SODÆ CHLORINATÆ LIQUOR. Curcumæ color in hoc liquore principio in fuscum mutatur, mox omnis perit. Acido hydrochlorico diluto adjecto, acidum carbonicum et chlorinium simul emittit: liquor sulphatis indigo ab hoc decoloratur; calx è liquore calcis ab illo dejicitur.

SODÆ PHOSPHAS (*crystalli*). Aëri exposita paululùm fatiscit. In aquâ tota, non in alcohole dissolvitur. Ex hoc liquore, quod a barii chlorido demittitur, albet, quodque ab argenti nitrate, nisi sodæ phosphas priùs usta fuerit, flavet. Utrumque in acido nitrico liquatur.

SODÆ SULPHAS (*crystalli*). Aëri exposita in pulverem fatiscit. In aquâ tota, in alcohole minimè liquatur. Lacmi et curcumæ colorem non mutat. Argenti nitras vix quicquam ex liquore diluto demittit: plurimùm autem barytæ nitras; idque acido nitrico non dissolvitur. Hujus salis crystalli ex 100 partibus 55 aquæ partes, in igne acri, exhalant.

SODÆ POTASSIO-TARTRAS (*crystalli*). In aquâ tota liquatur. Argenti nitras, itèm barii chloridum nihil demittit. Curcumæ aut lacmi colorem non mutat. Acidum sulphuricum adjectum in potassæ bitartrate pars convertitur.

SODII CHLORIDUM (*crystalli*). In aquâ seu frigidâ sive fervente pari ferè ratione liquatur. Lacmi et

curcumæ colorem non mutat. Sodæ carbonas, item barytæ nitras, nihil aut ferè nihil demittit.

SPIRITUS ÆTHERIS NITRICI. Hujus pondus specificum est .834. Lacmi colorem in rubrum levitèr mutat. Sodæ carbonate adjectâ, nullæ prodeunt acidi carbonici bullulæ. Quinetiam odore proprio dignoscitur.

SPIRITUS AMMONIÆ. Hujus pondus specificum est .860.

SPIRITUS AMMONIÆ AROMATICUS. Hujus pondus specificum est .914.

SPIRITUS AMMONIÆ FÆTIDUS. Hujus pondus specificum est .861.

SPIRITUS RECTIFICATUS. Hujus pondus specificum est .838. Coloris expers est, et aquâ adjectâ non obscuratur. Vinum olet et sapit. Hic spiritus ad normam spiritûs tenuioris redigi potest, quibusque octariis quinque adjectis octariis tribus aquæ destillatæ, calore gradûs 62^{di}.

SPIRITUS TENUIOR. Hujus pondus specificum est .920 imperii legibus definitum. Cætera superiori respondent.

STANNUM. Cum acido hydrochlorico coctum ferè totum liquatur. Liquor coloris expers est, sed auri chlorido adjecto, purpurascit. Quod a potassâ dejectur albet, et eâdem suprâ modum additâ, iterùm dissolvitur. Hujus pondus specificum est 7.29.

STRYCHNIA (crystalli). In alcohole fervente promptè liquatur; in aquâ non item. Igne liquescit; et si acrius urgeatur, tota consumitur. Viribus hæc induta violentis non temerè adhibenda est.

SULPHUR (*sublimatum*). Calore gradûs 600^m in vapores totum abit. Ubi aquâ lotum sit, lacmi colorem non mutat.

VERATRIA. Minimè in aquâ, magis in alcohole, maximè autem in æthere sulphurico liquatur. Non olet, sed amarum sapit. Non temerè adhibenda est.

ZINCI SULPHAS (*crystalli*). In aquâ tota liquatur. Quod ab ammoniâ demittitur albet, idemque hâc suprâ modum additâ rursûs dissolvitur. Adjecto aut barii chlorido, aut plumbi acetate permutatur.

ZINCUM. Acido sulphurico diluto ferè totum liquatur. Hic liquor coloris expers est. Cætera ut in præcedente. Hujus pondus specificum est 6.86.



PRÆPARATA ET COMPOSITA.

ACIDA.

ACETUM DESTILLATUM.

R Aceti congium ;

Destillet Acetum, balneo arenæ, ex retortâ vitreâ in receptaculum vitreum. Octarios septem primùm destillatos in usum serva.

ACIDUM ACETICUM.

R Sodæ Acetatis libras duas,
Acidi Sulphurici uncias novem,
Aquæ destillatæ fluiduncias novem ;

Sodæ Acetati in retortam vitream immissæ Acidum Sulphuricum Aquâ priùs mixtum adjice, tum balneo arenæ destillet Acidum. Cavendum est ne calor sub finem nimis urgeatur.

ACETUM CANTHARIDIS. (*Epispasticum.*)

R Cantharidis in pulverem tritæ uncias duas,
Acidi Acetici octarium ;

Cantharidem macera cum Acido per dies octo, subindè agitans. Denique exprime et cola.

ACETUM COLCHICI.

R Colchici Cormi recentis concisi unciam,
Aceti destillati fluiduncias sedecim,
Spiritûs tenuioris fluidunciam ;

Colchici Cormum macera cum Aceto, in vase vitreo operto, per dies tres ; dein exprime et sepone, ut fæces subsident ; denique liquori defæcato Spiritum adjice.

ACETUM SCILLÆ.

R Scillæ recens exsiccatae uncias quindecim,
Aceti destillati octarios sex,
Spiritûs tenuioris octarium dimidium ;

Scillam macera cum Aceto, leni calore, in vase vitreo clauso, per horas viginti quatuor ; dein exprime, et sepone, ut fæces subsident ; denique liquori defæcato Spiritum adjice.

ACIDUM BENZOICUM.

R Benzöini libram ;

Vasi idoneo arenæ imposito Benzöinum immitte, et calore paulatim aucto, sublima, donec nihil amplius ascendat ; quod sublimatum est chartâ bibulâ involutum comprime, et a parte oleosâ separa, dein iterùm sublima.

ACIDUM CITRICUM.

R Limonum Succii octarios quatuor,
 Cretæ præparatæ uncias quatuor cum semisse,
 Acidi Sulphurici diluti fluiduncias viginti septem
 cum semisse,
 Aquæ destillatæ octarios duos ;

Succo Limonum fervefacto Cretam paulatim adjice, et misce. Sepone ut subsidat pulvis, deindè liquorem supernatantem effunde. Calcis Citratem, aquâ tepidâ sæpiùs renovatâ, lava. Tum superinfunde Acidum Sulphuricum dilutum et aquam destillatam, et per quartam horæ partem coque. Liquorem per linteum fortitè exprime, et cola. Colatum leni calore consume, et sepone, ut fiant crystalli.

Crystallòs, ut puræ sint, iterùm et tertiò in aquâ liqua, eamque totiès cola, decoque, et sepone.

ACIDUM HYDROCHLORICUM.

R Sodii Chloridi exsiccati libras duas,
 Acidi Sulphurici uncias viginti,
 Aquæ destillatæ fluiduncias viginti quatuor ;

Sodii Chlorido in retortam vitream immisso, acidum aquæ fluidunciis duodecim priùs mixtum adjice. Aquæ quod reliquum est in receptaculum infunde ; tum, retortâ aptatâ, in hanc aquam transeat Acidum, balneo arenæ, calore gradatim aucto, destillatum.

ACIDUM HYDROCHLORICUM DILUTUM.

- R Acidi Hydrochlorici fluiduncias quatuor,
 Aquæ destillatæ fluiduncias duodecim ;
 Misce.

ACIDUM HYDROCYANICUM DILUTUM.

- R Potassii Ferrocyaniidi uncias duas,
 Acidi Sulphurici unciam cum semisse,
 Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Acidum Aquæ fluidunciis quatuor misce, hisque, ubi refrixerint, in retortam vitream immisis, Potassii Ferrocyanidum Aquæ octario dimidio prius liquatum adjice. Aquæ fluiduncias octo in receptaculum frige-factum infunde ; tum, retortâ aptatâ, in hanc Aquam transeant Acidi fluidunciæ sex, balneo arenæ, lento igne, destillatæ. Denique Aquæ destillatæ fluiduncias alias sex adde, vel quantum satis sit, ut Argenti Nitratis in Aquâ destillatâ liquatæ gr. 12.7, ab hujus Acidi gr. 100, accuratè saturentur.

ACIDUM HYDROCYANICUM DILUTUM aliter præparari potest, ubi ocÿus utendum est, ex Argenti Cyanidi granis novem cum semisse, adjectis Aquæ destillatæ fluidunciâ et Acidi Hydrochlorici diluti minimis novem simul commixtis. Omnia hæc in phialâ bene obturatâ agita : dein brevi morâ interpositâ in vas aliud liquorem limpidum effunde. Hunc intercluso luminis accessu, in usum serva.

ACIDUM NITRICUM.

- R Potassæ Nitratis exsiccatae,
 Acidi Sulphurici, singulorum libras duas ;

Misce in retortâ vitreâ, tum balneo arenæ destillet Acidum.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

R Acidi Nitrici fluidunciam,
Aquæ destillatæ fluiduncias novem ;

Misce.

ACIDUM PHOSPHORICUM DILUTUM.

R Phosphori unciam,
Acidi Nitrici fluiduncias quatuor,
Aquæ destillatæ fluiduncias decem ;

Acido Nitrico Aquâ mixto, et in retortâ vitreâ in balneum arenæ imposito, Phosphorum adjice ; tum calorem adhibe, donec fluidunciæ octo prodierint. Hæ in retortam iterùm mittantur ut fluidunciæ octo destillent, quæ rejiciendæ sunt. Liquorem superstitem in capsulâ è Platino fictâ, consume donec uncia duæ cum drachmis sex de toto restent. Denique Acido, ubi refrixerit, adjice aquæ destillatæ quantum satis sit, ut fluidunciarum viginti octo mensuram accuratè impleat.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

R Acidi Sulphurici fluidunciam cum semisse,
Aquæ destillatæ fluiduncias quatuordecim cum semisse ;

Acidum Aquæ paulatim adjice, et misce.

ACIDUM TARTARICUM.

- ℞ Potassæ Bitartratis libras quatuor,
 Aquæ destillatæ ferventis congios duos cum se-
 misse,
 Cretæ præparatæ uncias viginti quinque et drach-
 mas sex,
 Acidi Sulphurici diluti octarios septem et fluid-
 uncias septemdecim,
 Acidi Hydrochlorici fluiduncias viginti sex cum
 semisse, vel quantum satis sit ;

Potassæ Bitartratem cum aquæ destillatæ congiis duobus coque et adde paulatim Cretæ præparatæ dimidiam partem ; deinde, peractâ effervescentiâ, reliquam Cretam adjice in acido Hydrochlorico cum aquæ destillatæ octariis quatuor priùs liquatam. Denique sepone ut subsidat Calcis Tartras ; liquorem effunde et Calcis Tartratem aquâ destillatâ sæpiùs lava, donec saporis expers sit. Tum superinfunde Acidum Sulphuricum dilutum, et per quartam horæ partem coque. Liquorem colatum leni calore consume, ut fiant crystalli.

Crystallos, ut puræ sint, iterùm et tertiò in aquâ liqua, eamque totiès cola, decoque, et sepone.

ÆTHEREA.

ÆTHER SULPHURICUS.

R Spiritûs rectificati libras tres,
 Acidi Sulphurici libras duas,
 Potassæ Carbonatis priùs ustæ unciam ;

Spiritûs libras duas retortæ vitreæ infunde, eique acidum adjice, et misce. Dein in arenam impone, et calorem auge, ità ut quam primum ebulliat liquor, transeatque Æther in vas recipiens glacie vel aquâ refrigeratum. Destillet liquor, donec pars aliqua gravior transire incipiat. Liquori, qui restat in retortâ, calore priùs imminuto, reliquum spiritum affunde, ut simili modo destillet æther.

Liquores destillatos conjunge, tum partem supernatantem effunde, eique adjice Potassæ Carbonatem, subindè per horam agitans. Denique ex retortâ amplâ destillet æther, et in vase obturato servetur.

OLEUM ÆTHEREUM.

R Spiritûs rectificati libras duas,
 Acidi Sulphurici libras quatuor,
 Liquoris Potassæ,
 Aquæ destillatæ, singulorum fluidunciam vel quantum satîs sit ;

Spiritui Acidum cautè admisce. Destillet liquor donec spuma nigra succrescat ; tum protinùs ab igne retortam remove. Liquorem supernatantem leviozem a graviori separa, eumque aëri in diem expone. Huic Liquorem Potassæ aquâ priùs mixtum adjice, et simul agita. Denique Oleum Æthereum benè lotum quod subsederit separa.

SPIRITUS ÆTHERIS NITRICI.

R Spiritûs rectificati libras tres,
Acidi Nitrici uncias quatuor ;

Spiritui Acidum paulatim adjice et misce ; tum destillent fluidunciæ triginta duo.

SPIRITUS ÆTHERIS SULPHURICI COMPOSITUS.

R Ætheris Sulphurici fluiduncias octo,
Spiritûs rectificati fluiduncias sedecim,
Olei Ætherei fluidrachmas tres ;

Misce.

ALKALINA.

ACONITINA.

- R Aconiti Radicis exsiccati et contusi libras duas,
 Spiritûs rectificati congios tres,
 Acidi Sulphurici diluti,
 Ammoniæ Liquoris,
 Carbonis Animalis purificati, singulorum quantum
 satis sit,

Aconitum cum Spiritûs congio per horam coque in retortâ cui receptaculum aptatum est. Liquorem effunde; et quod restat, cum altero Spiritûs congio et Spiritu recens destillato iterùm coque, et liquorem etiam effunde. Idem tertio fiat. Tum aconitum exprime, et liquoribus omnibus mixtis et colatis destillet Spiritus. Quod restat ad idoneam Extracti crassitudinem consume. Hoc in aquâ liqua, et cola. Liquorem leni calore consume ut, Syrupo non-absimilis, spissescat. Huic adjice Acidi Sulphurici diluti aquâ destillatâ mixti quantum satis sit ad aconitinam solvendam. Tandem Ammoniæ liquorem instilla, Aconitinamque demissam in acido Sulphurico diluto et aquâ, ut antè, mixto liqua. Dein Carbonem Animalis admisce, subindè agitans in horæ partem quartam. Denique cola, atque

Ammoniaë liquore iterùm instillato ut demittatur
Aconitina, lava et exsicca.

AMMONIÆ SESQUICARBONAS.

R Ammoniaë Hydrochloratis libram,
Cretæ libram cum semisse ;

Separatim in pulverem tere ; tum misce, et calore
paulatim aucto, sublima.

LIQUOR AMMONIÆ SESQUICARBONATIS.

R Ammoniaë Sesquicarbonatis uncias quatuor,
Aquaë destillatæ octarium ;

Liqua Ammoniaë Sesquicarbonatem in Aquâ, et
cola.

LIQUOR AMMONIÆ.

R Ammoniaë Hydrochloratis uncias decem,
Calcis uncias octo,
Aquaë octarios duos ;

Calcem aquâ resolutam in retortam mitte, dein
Ammoniaë Hydrochloratem in frustula contritam et
reliquam Aquam adjice. Destillent Liquoris Am-
moniaë fluidunciæ quindecim.

LIQUOR AMMONIÆ ACETATIS.

R Ammonię Sesquicarbonatis uncias quatuor cum
semisse, vel quantum satis sit,
Aceti destillati octarios quatuor ;

Aceto Ammonię Sesquicarbonatem usque ad
saturationem adjice.

MORPHIA.

R Morphię Hydrochloratis unciam,
Liquoris Ammonię fluidrachmas quinque,
Aquę destillatę octarium ;

Liquori Ammonię cum Aquę destillatę unciâ,
Morphię Hydrochloratem in Aquę octario priùs
liquatam adjice, simul agitans. Quod demissum
est aquâ destillatâ lava et leni calore exsicca.

MORPHIÆ ACETAS.

R Morphię drachmas sex,
Acidi Acetici fluidrachmas tres,
Aquę destillatę fluiduncias quatuor ;

Acidum Aquâ misce et morphię superinfunde ad
saturationem. Leni calore exhaletur liquor ut fiant
crystalli.

MORPHIÆ HYDROCHLORAS.

R Opii concisi libram,
 Plumbi Chloridi crystallorum uncias duas, vel
 quantum sat̄is sit.
 Carbonis Animalis purificati, uncias tres cum
 semisse,
 Acidi Hydrochlorici,
 Aquæ destillatæ,
 Liquoris Ammoniæ, singulorum quantum sat̄is
 sit ;

Opium in Aquæ destillatæ octariis quatuor macera per horas triginta, et contunde ; deinde per horas alteras viginti digestum exprime. Quod restat, ut saporis expers sit, iterùm et tertio in Aquâ macera, idque totiès contunde et exprime. Liquores mistos calore gradûs 140^{mi} ad syrûpi crassitudinem consume. Tum aquæ destillatæ octarios tres adjice et, ubi fæces omnes subsederint, liquorem supernatantem effunde. Huic Plumbi Chloridi uncias duas in aquæ destillatæ fermentis octariis quatuor priùs liquatas gradatim adjice, vel quantum sat̄is sit, donec nihil ampliùs demittatur. Liquorem effunde et quod restat aquâ destillatâ sæpiùs affusâ lava. Deinde liquores inter se mistos, leni calore, ut ante, consume, et sepone ut fiant crystalli. Has linteo comprime, tum in aquæ destillatæ octario liqua, et cum Carbonis Animalis unciâ cum semisse, calore gradûs 120^{mi} digere, tum cola. Denique, carbone eloto, cautè liquores

consume ut puræ prodeant crystalli. Liquori effuso, unde crystalli primò separatæ sint, aquæ octario priùs addito, gradatim instilla, subindè agitans, Liquoris Ammonix quantum satis sit ad omnem Morphiã demittendam. Huic aquâ destillatâ lotæ adjice Acidum Hydrochloricum, ut saturetur: deindè cum Carbonis Animalis unciis duabus digere, et cola. Denique, carbone omni eloto, cautè liquores consume, ut puræ prodeant crystalli.

QUINÆ SULPHAS.

R Cinchonæ cordifoliæ contusæ libras septem,
 Acidi Sulphurici uncias novem,
 Carbonis Animalis purificati, uncias duas,
 Plumbi Oxydi hydrati,
 Liquoris Ammonix,
 Aquæ destillatæ, singulorum quantum satis sit;

Acidi Sulphurici uncias quatuor et drachmas duas
 Aquæ destillatæ congiis sex misce, iisque Cinchonam
 adjice; coque per horam et cola. Quod restat, paritèr Acido et Aquâ, eâdem ratione, mixtis coque per horam iterumque cola. Denique Cinchonam ex Aquæ destillatæ congiis octo per horas tres decoque et cola. Quod restat, aquâ destillatâ fervente sæpiùs renovatâ, lava. Liquoribus commixtis Plumbi Oxydum adhuc humidum adde, usque ad saturationem. Liqueorem supernatantem effunde et quod de-

missum est Aquâ destillatâ lava. Decoque liquores, in quartam horæ partem, et cola: tum Liquorem Ammoniaë gradatim adjice ad Quinam dejiciendam. Hanc lava donec nihil alkalini percipiendum sit. Quod reliquum est Acido Sulphurico diluto saturetur. Postremò cum Carbonis Animalis unciis duabus digere, et cola. Denique, Carbone omni eloto, cautè liquorem consume, ut prodeant crystalli.

STRYCHNIA.

R Strychni Nucis Vomicæ contusæ libras duas,
 Spiritûs rectificati congios tres,
 Acidi Sulphurici diluti,
 Magnesiæ, singulorum quantum satîs sit ;

Strychni nucem contusam cum Spiritûs congio, per horam coque in retortâ, cui receptaculum aptatum est. Liquorem effunde, et quod restat cum altero Spiritûs congio et Spiritu recens destillato, iterum et tertio coque et liquorem effunde. Strychni nucem exprime, et ex liquoribus mixtis et colatis destillet Spiritus. Quod restat ad idoneam extracti crassitudinem consume. Hoc in Aquâ frigidâ liqua et cola. Liquorem leni calore consume ut Syrupi crassitudinem habeat. Huic adhuc calenti Magnesiam ad saturationem usque paulatim adjice, simul agitans. Sepone per dies duos, tum liquorem supernatantem effunde. Quod restat linteo involutum exprime. Id in Spiritu coque, tum cola, et destillet

Spiritus. Reliquo adjice aliquantulum Acidi Sulphurici diluti Aquâ mixti, et leni calore macera. Sepone per horas viginti quatuor, ut in crystallos abeat. Has exprime et liqua. Denique his in Aquâ liquatis Ammoniam adjice, subindè agitans, ut demittatur Strychnia. Hanc postremò in Spiritu fervente liqua, et sepone ut puræ prodeant crystalli.

VERATRIA.

℞ Sabadillæ contusæ libras duas,
 Spiritûs rectificati congios tres,
 Acidi Sulphurici diluti,
 Ammoniæ Liquoris,
 Carbonis Animalis purificati,
 Magnesiæ, singulorum quantum satîs sit ;

Sabadillam cum Spiritûs congio per horam coque in retortâ cui receptaculum aptatum est. Liquorem effunde, et quod restat cum altero Spiritûs congio et Spiritu recens destillato iterùm coque, et liquorem effunde. Idque tertiò fiat. Sabadillam exprime et ex liquoribus mixtis et colatis destillet Spiritus. Quod restat ad idoneam extracti crassitudinem consume. Hoc in Aquâ, cui paulùm Acidi Sulphurici diluti adjectum est, ter aut sæpiùs coque, et liquores colatos ad Syrupi crassitudinem leni calore consume. Huic, ubi refrixerit, Magnesiam ad saturationem usque immisce subindè agitans ; tum exprime, et lava. Idem bis aut tertiò fiat ; dein quod restat exsicca, et Spiritu,

leni calore, bis terve digere, et toties cola. Postremò destillet Spiritus. Reliquum, in Aquâ cui paulum Acidi Sulphurici item Carbo Animalis adjectus est, coque in quartam horæ partem, et cola. Denique, Carbone omni eloto, liquores cautè consume donec Syrupi crassitudinem habeant, iisque Ammoniæ tantum instilla, quantum ad Veratriam dejiciendam satù sit. Hanc separa, et exsicca.

ANIMALIA.

CARBO ANIMALIS PURIFICATUS.

R Carbonis Animalis libram,
 Acidi Hydrochlorici,
 Aquæ, singulorum, fluiduncias duodecim ;

Acidum Hydrochloricum aquâ misce, et Carboni paulatim superinfunde, tum per dies duos, leni calore digere, subindè agitans. Sepone, et liquorem supernatantem effunde, tum aquâ sæpiùs renovatâ carbonem lava, donec acidi nihil percipiendum sit ; denique exsicca.

CORNU USTUM.

Cornuum frusta in vase aperto ure, donec penitùs albescant ; deinde contere, et præpara eodem modo, quo de Cretâ præceptum est.

TESTÆ PRÆPARATÆ.

Testas, sordibus priùs purgatas, aquâ fervente lava, tum præpara eodem modo, quo de Cretâ præceptum est.

AQUÆ DESTILLATÆ.

AQUA DESTILLATA.

R Aquæ congios decem ;

Destillent primùm octarii duo, quibus abjectis,
destillent congii octo. Aquam destillatam in lagenâ
vitreâ serva.

AQUA ANETHI.

R Anethi contusi libram cum semisse,
Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUA CARUI,

AQUA FŒNICULI,

Eodem modo præparantur quo Aqua Anethi.

AQUA FLORUM AURANTII.

R Aurantii Florum libras decem,
Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUA CINNAMOMI.

- R Cinnamomi contusi libram cum semisse, *vel*
 Olei Cinnamomi drachmas duas,
 Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
 Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUA MENTHÆ PIPERITÆ.

- R Menthæ piperitæ exsiccatae libras duas, *vel*
 Olei Menthæ piperitæ drachmas duas,
 Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
 Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUA MENTHÆ PULEGII,

AQUA MENTHÆ VIRIDIS,

Eodem modo præparantur quo AQUA MENTHÆ PIPERITÆ. Ubi autem, vel in hâc, vel in illis destillandis, herba recens adhibetur, pondere duplo utendum est.

AQUA PIMENTÆ.

- R Pimentæ contusæ libram, *vel*
 Olei Pimentæ drachmas duas,

Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
 Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUA ROSÆ.

R Rosæ Centifoliæ libras decem,
 Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
 Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUA SAMBUCCI.

R Sambuci Florum libras decem, *vel*
 Olei Sambuci drachmas duas,
 Spiritûs tenuioris fluiduncias septem,
 Aquæ congios duos ;

Destillet congius.

AQUÆ DESTILLATÆ pleræque suprâ dictæ brevissimo tempore præparari possunt, ubi ocyûs utendum est, tritâ diligenter Olei destillati cujuslibet drachmâ cum Magnesiæ Carbonatis drachmâ, deindè cum Aquæ destillatæ octariis quatuor. Denique liquor coletur.

CATAPLASMATA.

CATAPLASMA CONII.

R Extracti Conii uncias duas,
Aquæ octarium,

Misce, et adde

Lini seminum contusorum quod satis sit, ut idonea
fiat crassitudo.

CATAPLASMA FERMENTI.

R Farinæ libram,
Cerevisiæ Fermenti octarium dimidium ;

Misce, et calorem lenem adhibe, donec intumes-
cant.

CATAPLASMA LINI.

R Aquæ ferventis octarium,
Lini seminum contritorum quod satis sit, ut ido-
nea fiat crassitudo ;

Misce.

CATAPLASMA SINAPIS.

R Lini seminum,
Sinapis, singulorum contritorum libram dimi-
diam.

Aceti fervefacti quantum satis sit, ut fiat cata-
plasmatis crassitudo.

Misce.

CERATA.

CERATUM.

R Olivæ Olei fluiduncias quatuor,
 Ceræ uncias quatuor ;

Ceræ liquefactæ Oleum adjice, et misce.

CERATUM CALAMINÆ.

R Calaminæ,
 Ceræ, singularum libram dimidiam,
 Olivæ Olei fluiduncias sedecim ;

Oleum Cerâ liquefactâ misce ; tum ab igne remove,
 et, ubi primùm lentescant, Calaminam adjice, et as-
 siduè move, donec refrixerint.

CERATUM CANTHARIDIS.

R Cantharidis in pulverem subtilissimum tritæ
 unciam,
 Cerati Cetacei uncias sex ;

Cerato igne emollito Cantharidem adjice, et misce.

CERATUM CETACEI.

R Cetacei uncias duas,
Ceræ albæ uncias octo,
Olivæ Olei octarium ;

‡ Cetaceo et Ceræ simul liquefactis Oleum adjice,
et spathâ move, donec refrixerint.

CERATUM HYDRARGYRI COMPOSITUM.

R Unguenti Hydrargyri fortioris,
Cerati Saponis, singulorum uncias quatuor,
Camphoræ unciam ;

Contere simul donec unum corpus sit.

CERATUM PLUMBI ACETATIS.

R Plumbi Acetatis contritæ drachmas duas,
Ceræ albæ uncias duas,
Olivæ Olei fluiduncias octo ;

Ceram in Olei fluidunciis septem liqua ; tum his
Plumbi Acetatem cum reliquo Oleo separatim con-
tritam paulatim adjice, et spathâ move, donec coi-
erint.

CERATUM PLUMBI COMPOSITUM.

R Liquoris Plumbi Diacetatis fluiduncias tres,
 Ceræ uncias quatuor,
 Olivæ Olei octarium dimidium,
 Camphoræ drachmam dimidiam ;

Ceram liquefactam Olei fluidunciis octo misce ;
 tum ab igne remove, et, ubi primùm lentescant, Li-
 quorem Plumbi Diacetatis paulatim adjice, et spathâ
 assiduè move, donec refrixerint ; denique his Cam-
 phoram, in reliquo Oleo liquatam, misce.

CERATUM RESINÆ.

R Resinæ,
 Ceræ, singularum libram,
 Olivæ Olei fluiduncias sedecim ;

Resinam et Ceram lento igne simul liquefac ; dein
 Oleum adjice, et Ceratum adhuc calens per linteum
 exprime.

CERATUM SABINÆ.

R Sabinæ contusæ libram,
 Ceræ libram dimidiam,
 Adipis libras duas ;

Adipi et Ceræ simùl liquefactis Sabinam immisce ;
 tum per linteum exprime.

CERATUM SAPONIS.

R Saponis uncias decem,
Ceræ uncias duodecim cum semisse,
Plumbi Oxydi contriti uncias quindecim,
Olivæ Olei octarium,
Aceti congium ;

Coque Acetum cum Plumbi Oxydo, lento igne, assiduè movens, donec in unum coëant ; dein adjice Saponem, et iterùm simili modo coque, donec humor omnis consumptus fuerit ; denique his Ceram, ex Oleo priùs liquefactam, misce.

CONFECTIONES.

CONFECTIO AMYGDALÆ.

R Amygdalæ dulcis uncias octo,
 Acaciæ contritæ unciam,
 Sacchari uncias quatuor ;

Amygdalis priùs in Aquâ frigidâ maceratis, demp-
 tisque pelliculis, omnia simul contunde, donec corpus
 unum sit.

Confectio hæc diutius incorrupta servari potest si
 Amygdalæ, Acacia, et Saccharum separatim trita, de-
 mum misceantur. Tum quotiès Confectione utendum
 est, omnia simul contunde, donec corpus unum sit.

CONFECTIO AROMATICA.

R Cinnamomi,
 Myristicæ singulorum uncias duas,
 Caryophylli unciam,
 Cardamomi unciam dimidiam,
 Croci uncias duas,
 Cretæ præparatæ uncias sedecim,
 Sacchari libras duas ;

Arida simul in pulverem subtilissimum contere et
 vase obturato serva. Quotiès autem Confectione

utendum est, Aquam paulatim adjice, et misce, donec corpus unum sit.

CONFECTIO AURANTII.

R Aurantii Corticis recentis, radulâ separati, libram,
Sacchari libras tres ;

Corticem, in mortario lapideo, pistillo ligneo contunde ; tum, adjecto Saccharo, iterùm contunde, donec corpus unum sit.

CONFECTIO CASSIÆ.

R Cassiæ libram dimidiam,
Mannæ uncias duas,
Tamarindi unciam,
Syrupi Rosæ fluiduncias octo ;

Mannam contunde, tum in Syrupo liqua ; deindè admisce Cassiam et Tamarindum, et humorem consume, donec idonea fiat crassitudo.

CONFECTIO OPII.

R Opii duri contriti drachmas sex,
Piperis longi unciam,
Zingiberis uncias duas,
Carui uncias tres,
Tragacanthæ contritæ drachmas duas,
Syrupi fluiduncias sedecim ;

Contere simùl in pulverem subtilissimum et in vase operto conserva. Quotiès autem confectione utendum est, Syrupi calefacti fluiduncias sedecim adjice et misce.

CONFECTIO PIPERIS NIGRI.

R Piperis nigri,
Inulæ, singulorum libram,
Fœniculi libras tres,
Mellis,
Sacchari, singulorum libras duas ;

Arida simul in pulverem subtilissimum contere et in vase operto conserva. Quotiès autem Confectione utendum est, adjecto melle contunde, donec corpus unum sit.

CONFECTIO ROSÆ CANINÆ.

R Rosæ Caninæ libram,
Sacchari contriti uncias viginti ;

Rosæ pulpam, in vase fictili, leni calori expone ; tum Saccharum paulatim adjice, et tere simùl, donec corpus unum sit.

CONFECTIO ROSÆ GALLICÆ.

R Rosæ Gallicæ libram,
Sacchari libras tres ;

Rosæ petala in mortario lapideo contunde; tum, adjuncto Saccharo, iterùm contunde, donec corpus unum sit.

CONFECTIO RUTÆ.

R Rutæ exsiccatae,
Carui,
Lauri Baccarum, singulorum unciam cum semisse,
Sagapeni unciam dimidiam,
Piperis nigri drachmas duas,
Mellis uncias sedecim;

Arida simul in pulverem subtilissimum tere et conserva. Tum quotiès Confectione utendum est, his adjice mel, et omnia misce.

CONFECTIO SCAMMONII.

R Scammonii contriti unciam cum semisse,
Caryophylli contusi,
Zingiberis contritæ, singulorum drachmas sex,
Olei Carui fluidrachmam dimidiam,
Syrupi Rosæ quantum satis sit;

Arida simul in pulverem subtilissimum tere et conserva; tum, quotiès Confectione utendum est, in-stillato Syrupo, iterùm tere; denique adjuncto Oleo Carui, omnia misce.

CONFECTIO SENNÆ.

R Sennæ uncias octo,
Ficorum libram,
Tamarindi,
Cassiæ,
Prunorum, singulorum libram dimidiam,
Coriandri uncias quatuor,
Glycyrrhizæ uncias tres,
Sacchari libras duas cum semisse,
Aquæ octarios tres ;

Sennam cum Coriandro tere, et cribro separa pulveris misti uncias decem. Tum Aquam cum Ficis et Glycyrrhizâ adjectam ad dimidium decoque ; deindè exprime, et cola. Liquorem colatum balneo aquoso consume, donec fluidunciæ viginti quatuor ex toto restent ; tum, adjecto Saccharo, fiat Syrupus. Denique cum Syrupo Pulpas paulatim contere, et, injecto pulvere cribrato, omnia misce.

DECOCTA.

DECOCTUM ALOËS COMPOSITUM.

- R Extracti Glycyrrhizæ drachmas septem,
 Potassæ Carbonatis drachmam,
 Aloës contritæ,
 Myrrhæ contritæ,
 Croci, singulorum drachmam cum semisse,
 Tincturæ Cardamomi compositæ fluiduncias septem,
 Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Glycyrrhizam, Potassæ Carbonatem, Aloën, Myrrham, et Croci Stigmata decoque ex Aquâ ad octarium, et cola ; tum adjice Tincturam Cardamomi compositam.

DECOCTUM AMYLI.

- R Amyli drachmas quatuor,
 Aquæ octarium ;

Amylum cum Aquâ paulatim instillatâ tere, dein paulisper coque.

DECOCTUM CETRARIÆ.

R Cetrariæ drachmas quinque,
Aquæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM CHIMAPHILÆ.

R Chimaphilæ unciam,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM CINCHONÆ CORDIFOLIÆ.

R Cinchonæ Cordifoliæ contusæ drachmas decem,
Aquæ destillatæ octarium ;

Coque per sextam horæ partem in vase levitèr
clauso, et liquorem adhuc calentem cola.

DECOCTUM CINCHONÆ LANCIFOLIÆ,

DECOCTUM CINCHONÆ OBLONGIFOLIÆ,

Eodem modo præparantur quo DECOCTUM CIN-
CHONÆ CORDIFOLIÆ.

DECOCTUM CYDONIÆ.

R Cydoniæ drachmas duas,
Aquæ destillatæ octarium ;

Coque lento igne per sextam horæ partem ; dein
cola.

DECOCTUM DULCAMARÆ.

R Dulcamaræ concisæ drachmas decem,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM GRANATI.

R Granati uncias duas,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM HORDEI.

R Hordei uncias duas cum semisse,
Aquæ octarios quatuor cum semisse ;

Res alienas Hordei Seminibus adhærentes aquâ
primùm ablue ; deindè, affuso aquæ octario dimidio,

semina paulisper coque. Hâc aquâ abjectâ, superinfunde quod reliquum est, priùs fervefactum; tum decoque ad octarios duos, et cola.

DECOCTUM HORDEI COMPOSITUM.

R Decocti Hordei octarios duos,
Ficorum concisorum uncias duas cum semisse,
Glycyrrhizæ concisæ et contusæ drachmas quinque,
Uvæ uncias duas cum semisse,
Aquæ octarium;

Decoque ad octarios duos, et cola.

DECOCTUM MALVÆ COMPOSITUM.

R Malvæ exsiccatae unciam,
Anthemidis exsiccatae unciam dimidiam,
Aquæ octarium;

Coque per quartam horæ partem, et cola.

DECOCTUM PAPAVERIS.

R Papaveris concisi uncias quatuor,
Aquæ octarios quatuor;

Coque per quartam horæ partem, et cola.

DECOCTUM QUERCUS.

- R Quercûs contusæ drachmas decem,
 Aquæ destillatæ octarios duos ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM SARZÆ.

- R Sarzæ concisæ uncias quinque,
 Aquæ destillatæ ferventis octarios quatuor ;

Macera per horas quatuor, in vase levitèr clauso, prope ignem ; tum Sarzam exime et contunde. Contusam liquori redde, et iterùm simili modo macera per horas duas ; dein decoque ad octarios duos, et cola.

DECOCTUM SARZÆ COMPOSITUM.

- R Decocti Sarzæ ferventis octarios quatuor,
 Sassafras concisæ,
 Guaiaci Ligni rasi,
 Glycyrrhizæ contusæ, singulorum drachmas
 decem,
 Mezerei drachmas tres ;

Decoque per quartam horæ partem, et cola.

DECOCTUM SCOPARII COMPOSITUM.

- R Scoparii,
 Juniperi Fructûs,

Taraxaci, singulorum unciam dimidiam,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM SENEGÆ.

R Senegæ drachmas decem,
Aquæ destillatæ octarios duos ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM TORMENTILLÆ.

R Tormentillæ contusæ uncias duas,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM ULMI.

R Ulmi recentis contusæ uncias duas cum semisse,
Aquæ destillatæ octarios duos ;

Decoque ad octarium, et cola.

DECOCTUM VERATRI.

R Veratri contriti drachmas decem,
Aquæ destillatæ octarios duos,
Spiritus rectificati fluiduncias tres ;

Decoque Veratrum ex aquâ ad octarium, et ubi refrixerit, adjice Spiritum, tum exprime et cola.

DECOCTUM UVÆ URSI.

R Uvæ ursi contusæ unciam,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Decoque ad octarium, et cola.

EMPLASTRA.

EMPLASTRUM AMMONIACI.

R Ammoniaci uncias quinque,
Aceti destillati fluiduncias octo ;

Liqua Ammoniacum in Aceto ; dein liquorem,
lento igne, assiduè movens ad idoneam crassitudinem
consume.

EMPLASTRUM AMMONIACI CUM HYDRARGYRO.

R Ammoniaci libram,
Hydrargyri uncias tres,
Olivæ Olei fluidrachmam,
Sulphuris grana octo ;

Oleo calefacto Sulphur paulatim adjice, spathâ
assiduè movens, donec cöierint, deinde cum his Hy-
drargyrum tere, donec globuli non ampliùs conspi-
ciantur ; denique paulatim adjice Ammoniacum lique-
factum, et omnia misce.

EMPLASTRUM BELLADONNÆ.

R Emplastri Resinæ uncias tres,
Extracti Belladonnæ unciam cum semisse ;

Emplastro, calore balnei aquosi, liquefacto Ex-
tractum adjice et misce.

EMPLASTRUM CANTHARIDIS.

R Cantharidis in pulverem subtilissimum tritæ libram,
Emplastri Ceræ libram cum semisse,
Adipis libram dimidiam ;

Emplastro et Adipi simul liquefactis, et ab igne remotis, paulò antequam concrecant, Cantharidem insperge atque omnia misce.

EMPLASTRUM CERÆ.

R Ceræ,
Sevi, singulorum libras tres,
Resinæ libram ;

Liquefac simul, et cola.

EMPLASTRUM GALBANI.

R Galbani uncias octo,
Emplastri Plumbi libras tres,
Terebinthinæ vulgaris drachmas decem,
Abietis Resinæ contritæ uncias tres ;

Galbano et Terebinthinæ simul liquefactis, primò Abietis Resinam, deinde Emplastrum Plumbi lento igne liquefactum adjice, atque omnia misce.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI.

R Hydrargyri uncias tres,
Emplastri Plumbi libram,
Olivæ Olei fluidrachmam,
Sulphuris grana octo ;

Oleo calefacto, Sulphur paulatim adjice, spathâ assiduè movens, donec cöierint, dein cum his Hydrargyrum tere, donec globuli non ampliùs conspiciantur ; tum paulatim adjice Emplastrum Plumbi lento igne liquefactum, atque omnia misce.

EMPLASTRUM OPII.

R Opii duri contriti unciam dimidiam,
Abietis Resinæ contritæ uncias tres,
Emplastri Plumbi libram,
Aquæ fluiduncias octo ;

Emplastro liquefacto Abietis Resinam, Opium, et Aquam adjice, et lento igne decoque, donec omnia in idoneam crassitudinem coëant.

EMPLASTRUM PICIS.

R Picis abietinæ libras duas,
Abietis Resinæ libram,
Resinæ,
Ceræ, singulorum uncias quatuor,
Myristicæ Olei expressi unciam,

Olivæ Olei,
 Aquæ, singulorum fluiduncias duas ;

Pici, Resinæ et Ceræ, simul liquefactis, primùm Abietis Resinam, dein Oleum Myristicæ, Oleum Olivæ, et Aquam adjice. Denique omnia misce, et ad idoneam crassitudinem decoque.

EMPLASTRUM PLUMBI.

R Plumbi Oxydi, in pulverem subtilissimum triti,
 libras sex,
 Olivæ Olei congiuum,
 Aquæ octarios duos ;

Coque simul lento igne, assiduè movens, donec Oleum et Plumbi Oxydum in Emplastri crassitudinem coëant. Oportebit autem paululum Aquæ ferventis adjicere, si ea ferè omnis, quæ in principio adhibita est, ante finem coctionis fuerit absumpta.

EMPLASTRUM RESINÆ.

R Resinæ libram dimidiam,
 Emplastri Plumbi libras tres ;

Emplastro Plumbi, lento igne liquefacto, Resinam contritam adjice, et misce.

EMPLASTRUM SAPONIS.

R Saponis concisi libram dimidiam,
Emplastri Plumbi libras tres ;

Emplastro liquefacto Saponem admisce, tum ad idoneam crassitudinem decoque.

ENEMATA.

ENEMA ALOËS.

- R Aloës scrupulos duos,
Potassæ Carbonatis grana quindecim,
Decocti Hordei octarium dimidium ;

Misce, et simul tere.

ENEMA COLOCYNTHIDIS.

- R Extracti Colocynthidis compositi scrupulos
duos,
Saponis mollis unciam,
Aquæ fluiduncias octarium ;

Misce, et simul tere.

ENEMA OPII.

- R Decocti Amyli fluiduncias quatuor,
Tincturæ Opii minima triginta ;

Misce.

ENEMA TABACI.

- R Tabaci drachmam,
Aquæ ferventis octarium ;

Macera per horam et cola.

ENEMA TEREBINTHINÆ.

R Terebinthinæ Olei fluidunciam,
Vitelli ovi quod satis sit; tere simul et adde
Decocti Hordei fluiduncias novendecem;

Misce.

EXTRACTA.

In Extractis præparandis, nisi alitè indicatum sit, humorem, balneo aquoso, in patinâ quamprimùm consume, sub finem assiduè spathâ movens, donec crassitudo sit ad pilulas fingendas idonea.

Extractis omnibus mollioribus paululum Spiritûs rectificati insperge, ne mucida fiant.

EXTRACTUM ACONITI.

R Aconiti foliorum recentium libram ;

Contunde in mortario lapideo, insperso exiguo Aquæ ; dein exprime succum, eumque non defæcatum ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM BELLADONNÆ.

EXTRACTUM COLCHICI CORMI.

EXTRACTUM CONII.

EXTRACTUM DIGITALIS.

EXTRACTUM HYOSCYAMI.

EXTRACTUM LACTUCÆ.

Eodem modo præparantur quo EXTRACTUM ACONITI.

EXTRACTUM ALOËS PURIFICATUM.

R Aloës contritæ uncias quindecim,
Aquæ ferventis congium;

Macera per triduum leni calore; dein cola, et se-
pone ut fæces subsident. Liquorem defæcatum ef-
funde, et ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM CINCHONÆ CORDIFOLIÆ.

R Cinchonæ cordifoliæ contusæ uncias quindecim,
Aquæ destillatæ congios quatuor;

Decoque ex Aquæ congio ad octarios sex, et li-
quorem adhuc calentem cola. Eodem modo corticem
ex pari Aquæ mensurâ quatèr decoque, et cola.
Denique liquores omnes in unum mistos ad idoneam
crassitudinem consume.

EXTRACTUM CINCHONÆ LANCIFOLIÆ.

EXTRACTUM CINCHONÆ OBLONGIFOLIÆ.

Eodem modo præparantur quo EXTRACTUM CIN-
CHONÆ CORDIFOLIÆ.

EXTRACTUM COLCHICI ACETICUM.

R Colchici Cormi recentis libram,
Acidi Acetici fluiduncias tres;

Contunde Cormos, insperso gradatim Acido Ace-

tico, dein exprime succum, eumque in vase fictili plumbo non vitrifacto, ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

R Colocynthis concisæ libram,
Aquæ destillatæ congios duos ;

Misce, et coque lento igne per horas sex, Aquam destillatam subindè adjiciens, ut eandem mensuram semper impleat. Liquorem adhuc calentem cola ; denique ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS COMPOSITUM.

R Colocynthis concisæ uncias sex,
Aloës Extracti purificati uncias duodecim,
Scammonii contriti uncias quatuor,
Cardamomi contriti unciam,
Saponis uncias tres,
Spiritûs tenuioris congium ;

Macera Colocynthidem in Spiritu leni calore, per quatrimum. Spiritum cola, eique adjice Aloën, Scammonium et Saponem ; dein ad idoneam crassitudinem consume, Cardamomo sub finem admixto.

EXTRACTUM ELATERII.

Elaterii Pepones maturos scinde, et succum levis-
simè expressum per cribrum setaceum tenuissimum
cola; deindè per aliquot horas sepone, donec cras-
sior pars subsederit. Rejectâ parte tenuiore super-
natante, partem crassiorem leni calore exsicca.

EXTRACTUM GENTIANÆ.

R Gentianæ concisæ libras duas cum semisse,
Aquæ destillatæ ferventis congios duos;

Macera per horas viginti quatuor; tum decoque
ad congium, et liquorem adhuc calentem cola; de-
nique ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM GLYCYRRHIZÆ.

EXTRACTUM HÆMATOXYLI.

EXTRACTUM LUPULI.

EXTRACTUM SARZÆ.

EXTRACTUM TARAXACI.

EXTRACTUM UVÆ URSI.

Eodem modo præparantur quo EXTRACTUM GEN-
TIANÆ.

EXTRACTUM JALAPÆ.

R Jalapæ contritæ libras duas cum semisse,
Spiritus rectificati congiū,
Aquæ destillatæ congios duos ;

Macera Jalapæ Radicem in Spiritu per quatri-
dium, et tincturam effunde. Residuum ex Aquâ de-
coque ad congiū dimidium. Dein tincturam, et
decoctum separatim cola ; hoc consumatur, illa
destillet, donec utrumque spissescat. Postremò, his
Resinam misce, et ad idoneam crassitudinem con-
sume.

Servetur hoc Extractum *molle*, quod ad pilulas fin-
gendas aptum sit, et *durum*, quod in pulverem teri
possit.

EXTRACTUM OPII PURIFICATUM.

R Opii concisi uncias viginti,
Aquæ destillatæ congiū ;

Opio adjice exiguum Aquæ, et macera per horas
duodecim, ut mollescat ; tum, instillatâ paulatim re-
liquâ Aquâ, tere donec quam optimè misceantur, et
sepone, ut fæces subsidant ; dein liquorem cola, et
ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM PAPAVERIS.

R Papaveris contusi, demptis seminibus, uncias
quindecim,
Aquæ destillatæ ferventis congiū ;

Macera per horas viginti quatuor ; tum decoque
ad octarios quatuor, et liquorem adhuc calentem cola ;
denique ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM RHEI.

R Rhei contriti uncias quindecim,
Spiritûs tenuioris octarium,
Aquæ destillatæ octarios septem ;

Macera per quatrīdium leni calore, dein cola, et
sepone, ut fæces subsidant. Liquorem effunde, eum-
que defæcatum ad idoneam crassitudinem consume.

EXTRACTUM STRAMONII.

R Stramonii Seminum uncias quindecim,
Aquæ destillatæ ferventis congiū ;

Macera per horas quatuor, in vase leviter clauso

propè ignem : dein Semina exime, et contunde in mortario lapideo : contusa liquori redde. Tum decoque ad octarios quatuor, et liquorem adhuc calentem cola. Denique ad idoneam crassitudinem consume.

INFUSA.

INFUSUM ANTHEMIDIS.

R Anthemidis drachmas quinque,
 Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per sextam horæ partem, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM ARMORACIÆ COMPOSITUM.

R Armoraciæ concisæ,
 Sinapis contusi, singulorum unciam,
 Spiritûs Armoraciæ compositi fluidunciam,
 Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera Radicem et Semina in Aquâ per horas duas, in vase levitèr clauso, et cola ; tum adjice Spiritum Armoraciæ compositum.

INFUSUM AURANTII COMPOSITUM.

R Aurantii Corticis exsiccati unciam dimidiam,
 Limonum Corticis recentis drachmas duas,
 Caryophylli contusi drachmam,
 Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per quartam horæ partem, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM CALUMBÆ.

R Calumbæ concisæ drachmas quinque,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et
cola.

INFUSUM CARYOPHYLLI.

R Caryophylli contusi drachmas tres,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et
cola.

INFUSUM CASCARILLÆ.

R Cascarillæ contusæ unciam cum semisse,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et
cola.

INFUSUM CATECHU COMPOSITUM.

R Catechu Extracti contriti drachmas sex,
Cinnamomi contusi drachmam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horam, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM CINCHONÆ.

R Cinchonæ lancifoliæ contusæ unciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas sex, in vase levitèr clauso, et
cola.

INFUSUM CUSPARIÆ.

R Cuspariæ contusæ drachmas quinque,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et
cola.

INFUSUM DIGITALIS.

R Digitalis Foliorum exsiccatum drachmam,
Spiritus Cinnamomi fluidunciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera Digitalis Folia in Aquâ per horas quatuor,
in vase levitèr clauso, et cola ; tum adjice Spiritum.

INFUSUM DIOSMÆ.

R Diosmæ unciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas quatuor, in vase levitèr clauso,
et cola.

INFUSUM GENTIANÆ COMPOSITUM.

R Gentianæ concisæ,
Aurantii Corticis exsiccati, singulorum drachmas
duas,
Limonum Corticis recentis drachmas quatuor,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horam, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM LUPULI.

R Lupuli drachmas sex,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas quatuor, in vase levitèr clauso,
et cola.

INFUSUM KRAMERIÆ.

R Krameris unciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas quatuor, in vase levitèr clauso,
et cola.

INFUSUM LINI COMPOSITUM.

R Lini Seminum contusorum drachmas sex,
Glycyrrhizæ concisæ drachmas duas,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas quatuor, propè ignem, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM PAREIRÆ.

R Pareiræ drachmas sex,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM QUASSIÆ.

R Quassiæ concisæ scrupulos duos,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM RHEI.

R Rhei concisi drachmas tres,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM ROSÆ COMPOSITUM.

R Rosæ Gallicæ exsiccatae drachmas tres,
Acidi Sulphurici diluti fluidrachmam cum semisse,
Sacchari drachmas sex,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Rosæ Petalis Aquam superinfunde in vase vitreo ;
dein Acidum immisce. Macera per horas sex et li-
quorem cola, denique Saccharum adjice.

INFUSUM SCOPARII.

R Scoparii unciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas quatuor, in vase levitèr clauso,
et cola.

INFUSUM SENNÆ COMPOSITUM.

R Sennæ drachmas quindecim,
Zingiberis concisæ scrupulos quatuor,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horam, in vase levitèr clauso, et cola.

INFUSUM SERPENTARIÆ.

R Serpentariæ semunciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas quatuor, in vase levitèr clauso,
et cola.

INFUSUM SIMARUBÆ.

R Simarubæ contusæ drachmas tres,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horas duas, in vase levitèr clauso, et
cola.

INFUSUM VALERIANÆ.

R Valerianæ semunciam,
Aquæ destillatæ ferventis octarium ;

Macera per horam dimidiam, in vase levitèr
clauso, et cola.

LINIMENTA.

LINIMENTUM ÆRUGINIS.

- R Æruginis contritæ unciam,
Aceti fluiduncias septem,
Mellis uncias quatuordecim ;

Liqua Æruginem in Aceto, et per linteum cola ;
dein, instillato Melle, ad idoneam crassitudinem decoque.

LINIMENTUM AMMONIÆ.

- R Liquoris Ammoniæ fluidunciam,
Olivæ Olei fluiduncias duas ;

Agita simul, donec misceantur.

LINIMENTUM AMMONIÆ SESQUICARBONATIS.

- R Liquoris Ammoniæ Sesquicarbonatis fluidunciam
Olivæ Olei fluiduncias tres ;

Agita simul, donec misceantur.

LINIMENTUM CAMPHORÆ.

- R Camphoræ unciam,
Olivæ Olei fluiduncias quatuor ;

Liqua Camphoram in Oleo.

LINIMENTUM CAMPHORÆ COMPOSITUM.

- R Camphoræ uncias duas cum semisse,
Liquoris Ammoniaë fluiduncias septem cum se-
misse,
Spiritus Lavandulæ octarium ;

Liquorem Ammoniaë Spiritu misce ; tum ex re-
tortâ vitreâ, lento igne, destillet octarius ; denique
in hoc liqua Camphoram.

LINIMENTUM HYDRARGYRI COMPOSITUM.

- R Unguenti Hydrargyri fortioris,
Adipis, singulorum uncias quatuor,
Camphoræ unciam,
Spiritus rectificati fluidrachman,
Liquoris Ammoniaë fluiduncias quatuor ;

Camphoram primùm cum Spiritu tere, deindè,
cum Adipe et Unguento Hydrargyri ; denique, in-
stillato paulatim Liquore Ammoniaë, omnia misce.

LINIMENTUM OPII.

R Linimenti Saponis fluiduncias sex,
Tincturæ Opii fluiduncias duas ;

Misce.

LINIMENTUM SAPONIS.

R Saponis uncias tres,
Camphoræ unciam,
Spiritus Rosmarini fluiduncias sedecim ;

Liqua Camphoram in Spiritu ; dein Saponem ad-
jice, et macera leni calore, donec liquetur.

LINIMENTUM TEREBINTHINÆ.

R Saponis mollis uncias duas,
Camphoræ unciam,
Terebinthinæ Olei fluiduncias sedecim ;

Agita simul, donec misceantur.

MELLITA.

MEL BORACIS.

R Boracis contritæ drachmam,
Mellis unciam ;

Misce.

MEL ROSÆ.

R Rosæ Gallicæ exsiccatae uncias quatuor,
Aquæ ferventis octarios duos cum semisse,
Mellis libras quinque ;

Macera Rosæ Petala in Aquâ per horas sex ; de-
indè liquori colato adjice mel, et balneo aquoso ad
idoneam crassitudinem decoque.

OXYMEL.

R Mellis libras decem,
Acidi Acetici octarium cum semisse ;

Acidum Melle calefacto misce.

OXYMEL SCILLÆ.

R Mellis libras tres,
Aceti Scillæ octarium cum semisse;

Decoque in vase vitreo, lento igne, ad idoneam
crassitudinem.

METALLICA.

PRÆPARATA EX ALUMINIO.

ALUMEN EXSICCATUM.

Alumen in vase fictili, ad ignem liquescat; tum augeatur ignis, donec ebullitio cessaverit.

LIQUOR ALUMINIS COMPOSITUS.

R Aluminis,
Zinci Sulphatis, singulorum unciam,
Aquæ ferventis octarios tres;

Alumen et Zinci Sulphatem in Aquâ simul liqua;
dein cola.

PRÆPARATA EX ANTIMONIO.

ANTIMONII OXYSULPHURETUM.

R Antimonii Sesquisulphureti contriti uncias septem,
Liquoris Potassæ octarios quatuor,
Aquæ destillatæ congios duos,
Acidi Sulphurici diluti quantum satîs sit;

Antimonii Sesquisulphuretum, Liquorem Potassæ

et Aquam inter se misce, et coque igne lento per horas duas, subindè movens, adjectâ sæpè aquâ destillatâ, adeò ut eandem mensuram circiter impleat. Liquorem cola, eique instilla paulatim Acidi Sulphurici diluti quantum satis sit ad Oxysulphuretum Antimonii dejiciendum; tum Aquâ Potassæ Sulphatè abluè et quod restat leni calore exsicca.

ANTIMONII POTASSIO-TARTRAS.

R Antimonii Sesquisulphureti in pulverem contriti,
Potassæ Nitratis contritæ, singulorum libras duas,
Potassæ Bitartratis contritæ uncias quatuordecim,
Acidi Hydrochlorici fluiduncias quatuor,
Aquæ destillatæ congium;

Antimonii Sesquisulphuretum cum Potassæ Nitate, adjecto subindè Acido Hydrochlorico, accuratè misce, et pulverem super laminam ferream inspersione accende. Quod restat, ubi refrigerit, in pulverem subtilissimum tere, et aquâ fervente sæpius affusâ lava donec saporis expers sit. Pulverem ità præparatum Potassæ Bitartrate misce, et coque per horam dimidiam in aquæ destillatæ congio. Liquorem adhuc ferventem cola, et sepone ut fiant crystalli. His demptis et exsiccatis, liquor iterùm consumatur donec in crystallos abeat.

VINUM ANTIMONII POTASSIO-TARTRATIS.

R Antimonii Potassio-Tartratis scrupulos duos,
Vini Xerici octarium;

Antimonii Potassio-Tartratem in Vino liqua.

PULVIS ANTIMONII COMPOSITUS.

R Antimonii Sesquisulphureti contriti libram,
Cornuum rasorum libras duas;

Misce et conjice in crucibulum igne candens, et assiduè move donec vapor non ampliùs ascendat. Quod restat in pulverem tere et crucibulo idoneo immitte. Tum ignem subministra et paulatim auge ut candeat per horas duas. Reliquum tere ut fiat pulvis subtilissimus.

PRÆPARATA EX ARGENTO.

 ARGENTI CYANIDUM.

R Argenti Nitratis uncias duas et drachmas duas,
Acidi Hydrocyanici diluti,
Aquæ destillatæ, singulorum octarium;

Argenti Nitratem in Aquâ liqua, iisque Acidum Hydrocyanicum dilutum adjice, et misce. Quod demissum est, id Aquâ destillatâ lava, et exsicca.

ARGENTI NITRAS.

- R Argenti unciam cum semisse,
 Acidi Nitrici fluidunciam,
 Aquæ destillatæ fluiduncias duas ;

Acidum Nitricum Aquâ misce, et in his Argentum balneo arenæ liqua. Dein calorem paulatim auge, ut siccetur Argenti Nitras. Hanc in crucibulo, lento igne, liquefac, donec, expulsâ Aquâ, cessaverit ebullitio ; tum statim effunde in formas idoneas.

LIQUOR ARGENTI NITRATIS.

- R Argenti Nitratis drachmam,
 Aquæ destillatæ fluidunciam ;

Argenti Nitratem in Aquâ liqua et cola, tum intercluso luminis accessu, in vase benè obturato serva.

PRÆPARATUM EX ARSENICO.

LIQUOR POTASSÆ ARSENITIS.

- R Acidi Arseniosi in frustula triti,
 Potassæ Carbonatis, singulorum grana octoginta,
 Tincturæ Lavandulæ Compositæ fluidrachmas
 quinque,
 Aquæ destillatæ octarium ;

Acidum Arseniosum et Potasse Carbonatem cum Aquæ octario dimidio in vase vitreo coque, donec liquentur. Liquori frige facto adjice Tincturam Lavandulæ Compositam. Denique adjice insuper Aquæ destillatæ quantum satîs sit, ut mensuram octarii accuratè impleat.

PRÆPARATA È BARIO.

BARII CHLORIDUM.

R Barytæ Carbonatis in frustula tritæ uncias decem,
Acidi Hydrochlorici octarium dimidium,
Aquæ destillatæ octarios duos ;

Acidum Aquâ misce, iisque Barytæ Carbonatem paulatim adjice. Tum, calore adhibito, et peractâ effervescentiâ, liquorem cola et decoque, ut fiant crystalli.

LIQUOR BARII CHLORIDI.

R Barii Chloridi drachmam,
Aquæ destillatæ fluidunciam ;

Barii Chloridum liqua, et cola.

PRÆPARATUM È BISMUTHO.

BISMUTHI TRISNITRAS.

R Bismuthi unciam,
Acidi Nitrici fluidunciam cum semisse,
Aquæ destillatæ octarios tres;

Aquæ destillatæ fluidunciam Acido Nitrico misce,
et Bismuthum in his liqua; tum effunde liquorem.
Huic Aquæ quod reliquum est adjice, et spone ut
subsidat pulvis. Deinde effuso liquore supernatante
Bismuthi Trisnitratem Aquâ destillatâ lava, et leni
calore exsicca.

PRÆPARATA È CALCIO.

CALX.

R Cretæ libram;

In frustula contunde, et igne acerrimo combure per
horam.

LIQUOR CALCIS.

R Calcis selibram,
Aquæ destillatæ octarios duodecim;

Calci Aquæ pauxillo priùs resolutæ reliquam Aquam affunde, et simul agita; tum protinùs vas contege, et sepone per horas tres; dein Liquorem cum Calce superstite in vasis vitreis obturatis serva, et, ubi utendum est, ex limpido Liquore sume.

CALCII CHLORIDUM.

R Cretæ uncias quinque,
Acidi Hydrochlorici,
Aquæ destillatæ, singulorum octarium dimidium;

Acidum Aquâ misce; hisque gradatim adjice Cretam usque ad saturationem. Tum peractâ effervescentiâ cola; liquorem consume donec sal exsiccetur. Hunc in crucibulum injice et ad ignem liquefactum super lapidem planum et nitidum effunde. Denique ubi refrixerit in frustula contunde, et in vase benè obturato serva.

LIQUOR CALCII CHLORIDI.

R Calcii Chloridi uncias quatuor,
Aquæ destillatæ fluiduncias duodecim;
Calcii Chloridum liqua, et cola.

CALX CHLORINATA.

R Calcis Hydratis libram,
Chlorinii quantum satis sit;

Calci in vase idoneo sparsæ Chlorinium immitte donec saturetur.

CHLORINIUM facillimè elicitur ex Manganesii Bin-oxydo, Acido Hydrochlorico adjecto, leni calore.

CRETA PRÆPARATA.

R Cretæ libram,
Aquæ quantum satîs sit ;

Cretæ adjice Aquæ paululum, et tere, ut fiat pulvis subtilis. Hunc in vas amplum cum Aquâ reliquâ conjice ; tum agita, et, brevi morâ interpositâ, in vas aliud Aquam adhuc turbidam supernatantem transmittite, et sepone, ut subsidat pulvis ; denique effusâ Aquâ, pulverem hunc exsicca, et in usum serva.

Eodem modo Testæ sordibus priùs purgatæ et Aquâ fervente lotæ præparantur.

PRÆPARATA È CUPRO.

CUPRI AMMONIO-SULPHAS.

R Cupri Sulphatis unciam,
Ammonizæ Sesquicarbonatis unciam cum semisse ;

Tere simul, donec Acidum Carbonicum exire cessaverit ; deindè Cupri Ammonio-Sulphatem, chartâ bibulâ involutam in aëre exsicca.

LIQUOR CUPRI AMMONIO-SULPHATIS.

R Cupri Ammonio-Sulphatis drachmam,
Aquæ destillatæ octarium ;

Cupri Ammonio-Sulphatem in Aquâ liqua, et cola.

PRÆPARATA È FERRO.

FERRI AMMONIO-CHLORIDUM.

R Ferri Sesquioxydi uncias tres,
Acidi Hydrochlorici octarium dimidium,
Ammonię Hydrochloratis libras duas cum se-
misse,
Aquæ destillatæ octarios tres ;

Acido Hydrochlorico, in vase idoneo, Ferri Sesquiox-
ydum misce, et in balneo arenæ digere per horas
duas ; deindè Ammonię Hydrochloratem in Aquâ
destillatâ priùs liquatam adjice ; cola et liquorem om-
nem consume. Postremò quod restat in pulverem
tere.

TINCTURA FERRI AMMONIO-CHLORIDI.

R Ferri Ammonio-Chloridi uncias quatuor,
Spiritûs tenuioris octarium ;

Ferri Ammonio-Chloridum in Spiritu liqua, et
cola.

TINCTURA FERRI SESQUICHLORIDI.

R Ferri Sesquioxydi uncias sex,
 Acidi Hydrochlorici octarium,
 Spiritûs rectificati octarios tres ;

Ferri Sesquioxydo superinfunde Acidum in vase vitreo, et per triduum digere, subindè agitans. Deinde Spiritum adjice, et cola.

FERRI IODIDUM.

R Iodini uncias sex,
 Ferri Ramentorum uncias duas,
 Aquæ destillatæ octarios quatuor cum semisse ;

Iodinium Aquæ octariis quatuor misce, hisque adjice Ferrum. Calefac in balneo arenæ, et facto jam colore subviridi, liquorem effunde. Quod restat Aquæ ferventis octario dimidio lava. Vaporent liquores commixti et colati calore gradum 212^m non superante, in vase ferreo, ut exsiccetur sal. Hunc in vase benè obturato, intercluso luminis accessu, serva.

FERRI POTASSIO-TARTRAS.

R Ferri Sesquioxidi uncias tres,
Acidi Hydrochlorici octarium dimidium,
Liquoris Potassæ octarios quatuor cum semisse
vel quantum satis sit,
Potassæ Bitartratis uncias undecim cum semisse,
Liquoris Ammonię Sesquicarbonatis octarium
vel quantum satis sit,
Aquæ destillatæ congios tres ;

Ferri Sesquioxidum Acido misce et per horas duas balneo arenæ digere. His Aquæ congios duos adjice, et sepone per horam, tum liquorem supernatantem effunde. Quod demissum est, adjecto Liqueore Potassæ, Aquâ sæpius affusâ lava, et adhuc humidum cum Potassæ Bitartrate Aquæ congio priùs mixtâ decoque. Si liquor, Lacmo teste, acidus sit, ei Ammonię Sesquicarbonatis liquorem instilla, donec saturetur. Denique cola, et leni calore consumatur liquor ut sal siccus restet.

FERRI SESQUIOXYDUM.

R Ferri Sulphatis libras quatuor,
Sodæ Carbonatis libras quatuor et uncias duas,
Aquæ ferventis congios sex ;

Ferri Sulphatem et Sodæ Carbonatem separatim liqua in Aquæ congiis tribus ; tum liquores inter se

misce, et sepone, ut pulvis subsidat ; deindè, effuso liquore supernatante, quod demissum est, id in Aquâ lava, et exsicca.

FERRI SULPHAS.

R Ferri Ramentorum uncias octo,
Acidi Sulphurici uncias quatuordecim,
Aquæ octarios quatuor ;

Acidum Sulphuricum Aquâ misce, hisque adjice Ferrum ; tum calorem adhibe, et ubi bullulæ exire cessaverint, liquorem cola, et sepone ut fiant crystalli. Effusum liquorem consume ut in crystallos iterùm abeat. Has omnes exsicca.

PRÆPARATA EX HYDRARGYRO.

HYDRARGYRUM CUM CRETÂ.

R Hydrargyri uncias tres,
Cretæ præparatæ uncias quinque ;

Tere simul, donec globuli non ampliùs conspiciantur.

HYDRARGYRI OXYDUM.

R Hydrargyri Chloridi unciam,
Liquoris Calcis congiuum ;

Misce et sæpius agita. Sepone, et ubi subsederit Oxydum, liquorem effunde. Denique in Aquâ destillatâ lava donec alkalini nihil percipi possit, et chartâ bibulâ involutum in aëre exsicca.

HYDRARGYRI BINOXYDUM.

R Hydrargyri Bichloridi uncias quatuor,
Liquoris Potassæ fluiduncias viginti octo,
Aquæ destillatæ octarios sex ;

Hydrargyri Bichloridum in Aquâ liqua ; cola, et adjice Liquorem Potassæ. Pulverem demissum, effuso liquore, in Aquâ destillatâ lava, donec alkalini nihil percipi possit, et leni calore exsicca.

HYDRARGYRI NITRICO-OXYDUM.

R Hydrargyri libras tres,
Acidi Nitrici libram cum semisse,
Aquæ destillatæ octarios duos ;

Misce in vase idoneo, et lenem calorem adhibe, donec liquetur Hydrargyrum. Liquorem decoque ; et quod restat tere in pulverem. Hunc in vas aliud quam minimè profundum conjice ; tum ignem lenem adhibe, eumque paulatim auge, donec vapor ruber prodire cessaverit.

HYDRARGYRI AMMONIO-CHLORIDUM.

- R Hydrargyri Bichloridi uncias sex,
 Aquæ destillatæ octarios sex,
 Liquoris Ammoniaë fluiduncias octo ;

Hydrargyri Bichloridum, calore adhibito, in Aquâ liqua. Huic ubi refrixerit, Liquorem Ammoniaë adjice, subindè agitans. Pulverem demissum lava, donec saporis expers sit, denique exsicca.

HYDRARGYRI CHLORIDUM.

- R Hydrargyri libras quatuor,
 Acidi Sulphurici libras tres,
 Sodii Chloridi libram cum semisse,
 Aquæ destillatæ quantum satîs sit ;

Hydrargyri libras duas cum Acido Sulphurico in vase idoneo coque, donec Hydrargyri Bipersulphas sicca restet ; hanc ubi refrixerit cum Hydrargyri libris duabus, in mortario fictili contere ut optimè misceantur. Dein Sodii Chloridum adjice, et simul tere, donec globuli non amplius conspiciantur ; tum sublima. Sublimatum in pulverem subtilissimum contere et Aquâ destillatâ fervente diligenter lava et exsicca.

HYDRARGYRI BICHLORIDUM.

- R Hydrargyri libras duas,

Acidi Sulphurici libras tres,
Sodii Chloridi libram cum semisse;

Hydrargyrum cum Acido Sulphurico in vase idoneo decoque, donec Hydrargyri Bipersulphas sicca restet; hanc, ubi refrixerit, cum Sodii Chlorido in mortario fictili contere; tum calore sensim aucto, sublima.

LIQUOR HYDRARGYRI BICHLORIDI.

R Hydrargyri Bichloridi,
Ammoniae Hydrochloratis, singulorum grana decem,
Aquae destillatae octarium;

Hydrargyri Bichloridum et Ammoniae Hydrochloratam simul in Aquâ liqua.

HYDRARGYRI BICYANIDUM.

R Ferri Percyanidi uncias octo,
Hydrargyri Binoxydi uncias decem,
Aquae destillatae octarios quatuor;

Coque simul per horam dimidiam et cola. Liquorem consume ut fiant crystalli. Quod superest Aquâ destillatâ fervente saepius lava, et liquores mixtos iterum consume ut fiant crystalli.

HYDRARGYRI BICYANIDUM aliter præparari potest,

adjiciendo Hydrargyri Binoxydi quantum sat̄s sit ad saturandum accuratè Acidum Hydrocyanicum, quod ex Potassii Ferrocyanido cum Acido Sulphurico diluto fuerit destillatum.

HYDRARGYRI IODIDUM.

R Hydrargyri unciam,
Iodini drachmas quinque,
Alcoholis quantum sat̄s sit ;

Tere simul Hydrargyrum et Iodinium, Alcholle paulatim adjecto, donec globuli non ampliùs conspiciantur. Pulverem leni calore, intercluso luminis accessu, quamprimùm exsicca, et in vase benè obturato serva.

HYDRARGYRI BINIODIDUM.

R Hydrargyri unciam,
Iodini drachmas decem,
Alcoholis quantum sat̄s sit ;

Tere simul Hydrargyrum et Iodinium, Alcholle paulatim adjecto, donec globuli non ampliùs conspiciantur. Pulverem leni calore exsicca, et in vase benè obturato serva.

HYDRARGYRI BISULPHURETUM.

R Hydrargyri libras duas,
Sulphuris uncias quinque ;

Hydrargyrum Sulphure ad ignem liquefacto misce, et quamprimùm intumescat massa, vas ab igne remove, et fortitèr tege, ne fiat inflammatio; deindè in pulverem tere, et sublima.

HYDRARGYRI SULPHURETUM CUM SULPHURE.

R Hydrargyri,
Sulphuris, singulorum libram;

Tere simul, donec globuli non ampliùs conspiciantur.

PRÆPARATA EX MAGNESIO.

MAGNESIA.

R Magnesiae Carbonatis uncias quatuor;

Ignè acri ure per horas duas.

MAGNESIÆ CARBONAS.

R Magnesiae Sulphatis libras quatuor,
Sodae Carbonatis libras quatuor et uncias octo;
Aquae destillatae congios quatuor;

Sodae Carbonatem et Magnesiae Sulphatem in

Aquæ congiis duobus separatim liqua, et cola: dein liquores misce, et coque, spathâ assiduè movens, per quartam horæ partem; denique liquore effuso pulverem demissum aquâ destillatâ fervente lava, et exsicca.

PRÆPARATA È PLUMBO.

PLUMBI ACETAS.

R Plumbi Oxydi in pulverem triti libras quatuor
et uncias duas,
Acidi Acetici,
Aquæ destillatæ, singulorum octarios quatuor;

Acidum aquâ misce, iisque Plumbi Oxydum adjice, et leni calore adhibito liqua: dein cola. Denique liquorem consume ut fiant crystalli.

LIQUOR PLUMBI DIACETATIS.

R Plumbi Acetatis libras duas et uncias tres,
Plumbi Oxydi in pulverem triti libram et uncias
quatuor,
Aquæ octarios sex;

Coque per horam dimidiam subindè agitans, et ubi liquor refrixerit, adjice Aquæ destillatæ quantum satis sit, ut octarios sex impleat, denique cola.

LIQUOR PLUMBI DIACETATIS DILUTUS.

- ℞ Liquoris Plumbi Diacetatis fluidrachmam cum
semisse,
Aquæ destillatæ octarium,
Spiritûs tenuioris fluidrachmas duas ;

Misce.

PLUMBI CHLORIDUM.

- ℞ Plumbi Acetatis uncias novendecim,
Aquæ destillatæ ferventis octarios tres,
Sodii Chloridi uncias sex ;

Plumbi Acetatem, et Sodii Chloridum separatim liqua, illam ex Aquæ destillatæ octariis tribus, hoc ex Aquæ destillatæ octario. Dein liquoribus inter se mixtis, quod demissum est, ubi refrixerit, aquâ destillatâ lava, et exsicca.

PLUMBI IODIDUM.

- ℞ Plumbi Acetatis uncias novem,
Potassii Iodidi uncias septem,
Aquæ destillatæ congium ;

Plumbi Acetatem in Aquæ octariis sex liqua et cola ; iisque adjice Potassii Iodidum in Aquæ octariis duobus priùs liquatum. Quod demissum est lava, et exsicca.

PLUMBI OXYDUM HYDRATUM.

- ℞ Liqueoris Plumbi Diacetatis octarios sex,
 Aquæ destillatæ congios tres,
 Liqueoris Potassæ octarios sex, vel quantum opus
 est ad Oxydum demittendum ;

Misce. Quodque demissum est in Aquâ lava donec
 alkalini nihil supersit.

PRÆPARATA È POTASSIO.

LIQUOR POTASSÆ.

- ℞ Potassæ Carbonatis uncias quindecim,
 Calcis uncias octo,
 Aquæ destillatæ ferventis congiunium ;

Liqua Potassæ Carbonatem in Aquæ congio dimidio. Calci insperge Aquæ paucillum in vase fictili et resolutâ calce, reliquam aquam adjice. Liquores inter se protinùs commixtos operto vase subindè agita donec refrixerint. Tum sepone ut subsidat Calcis Carbonas. Denique liquorem supernatantem effusum, in ampullâ vitreâ viridi benè obturatâ, serva.

LIQUOR POTASSÆ CARBONATIS.

- ℞ Potassæ Carbonatis uncias viginti,
 Aquæ destillatæ octarium ;

Liqua Potassæ Carbonatem in Aquâ, et cola.

POTASSA CUM CALCE.

℞ Potassæ Hydratis,
Calcis, singularum unciam ;

Tere simul, et in vase benè obturato serva.

POTASSÆ HYDRAS.

℞ Liquoris potassæ congium ;

Aquam in vase ferreo nitido ad ignem consume, donec, ebullitione finitâ, Potassæ Hydras liquefiat ; hanc in formas idoneas effunde.

POTASSÆ ACETAS.

℞ Potassæ Carbonatis libram,
Acidi Acetici fluiduncias viginti sex,
Aquæ destillatæ fluiduncias duodecim ;

Acido cum Aquâ priùs commixto Potassæ Carbonatem adjice usque ad saturationem, tum cola. Liquorem in balneo arenæ, calore cautè adhibito, consume donec sal exsiccetur.

POTASSÆ CARBONAS.

℞ Potassæ Carbonatis impuræ libras duas,
Aquæ destillatæ octarium cum semisse ;

Liqua Potassæ Carbonatem impuram in Aquâ, et cola ; tum in vas idoneum effunde, et Aquam consume, ut spissescat Liquor ; dein spathâ assidue move, donec sal concreverit.

Potassæ Carbonas magis pura præparari potest ex crystallis Potassæ Bicarbonatis ad rubedinem ustis.

POTASSÆ BICARBONAS.

℞ Potassæ Carbonatis libras sex,
Aquæ destillatæ congiū ;

Potassæ Carbonatem in Aquâ liqua dein Acidum Carbonicum per liquorem transmittite usque ad saturationem. Lenem calorem admove, ut quæcunque factæ sint crystalli, rursûs solvantur. Tunc seponere ut denuò prodeant crystalli. Has effuso liquore exsiccata.

ACIDUM CARBONICUM facillimè elicitur ex Cretâ, in pulverem tritâ et Aquâ mixtâ ad syrûpi crassitudinem, cui Acidum Sulphuricum deindè superinfunditur pari pondere Aquæ dilutum.

LIQUOR POTASSÆ EFFERVESCENS.

℞ Potassæ Bicarbonatis drachmam,
Aquæ destillatæ octarium ;

Potassæ Bicarbonatem in Aquâ liqua ; eique Acidi Carbonici vi compressi immitte plusquam satis sit ad saturationem. Liquorem in vase benè obturato serva.

POTASSÆ SULPHAS.

- ℞ Salis qui restat post destillationem Acidi Nitrici
libras duas,
Aquæ ferventis congios duos ;

Salem in crucibulo ure donec Acidum Sulphuricum
supervacaneum penitùs expulsum fuerit, tum in
Aquæ congiis duobus coque donec pellicula super-
natet et, liquore colato, sepone ut fiant crystalli.
Has, effuso liquore, exsicca.

POTASSÆ BISULPHAS.

- ℞ Salis qui restat post destillationem Acidi Nitrici
libras duas,
Acidi Sulphurici libram,
Aquæ ferventis octarios sex ;

Salem in Aquâ liqua, eique adjice Acidum et
miscce. Dein decoque, et sepone, ut fiant crystalli.

POTASSÆ TARTRAS.

- ℞ Potassæ Bitartratis contritæ libras tres,
Potassæ Carbonatis uncias sedecim vel quantum
satù sit,
Aquæ ferventis octarios sex ;

Potassæ Carbonatem in Aquâ fervente liqua ; tum
adjice Potassæ Bitartratem, et coque. Liquorem cola ;

dein decoque donec pellicula supernatet, et sepone ut fiant crystalli. Has effuso liquore, exsicca; iterùmque liquorem consume ut prodeant crystalli.

POTASSII BROMIDUM.

℞ Brominii uncias duas,
 Potassæ Carbonatis uncias duas et drachmam,
 Ferri Ramentorum unciam,
 Aquæ destillatæ octarios tres;

Aquæ destillatæ octario cum semisse adjice principio Ferrum et postea Brominium. Sepone per dimidiam horæ partem spathâ subindè agitans. Calorem lenem adhibe, et facto jam colore subviridi Potassæ Carbonatem reliquâ Aquâ liquatam infunde. Cola, et quod restat in Aquæ destillatæ ferventis octariis duobus lava, iterùmque cola. Consumantur liquores commixti ut fiant crystalli.

POTASSII IODIDUM.

℞ Iodini uncias sex,
 Potassæ Carbonatis uncias quatuor,
 Ferri Ramentorum uncias duas,
 Aquæ destillatæ octarios sex;

Iodinium Aquæ octariis quatuor misce, et adjice ferrum, spathâ per dimidiam horæ partem subindè movens. Calorem lenem adhibe, et facto jam colore subviridi, Potassæ Carbonatem in Aquæ octariis du-

obus priùs liquatam adde, et cola. Quod restat in Aquæ destillatæ ferventis octariis duobus lava, iterumque cola. Consumantur liquores commixti ut fiant crystalli.

LIQUOR POTASSII IODIDI COMPOSITUS.

℞ Potassii Iodidi grana decem,
Iodini grana quinque,
Aquæ destillatæ octarium ;

Misce ut liquentur.

POTASSII SULPHURETUM.

℞ Sulphuris unciam,
Potassæ Carbonatis uncias quatuor ;

Tere simul, et in crucibulo clauso super ignem impone, donec coierint.

PRÆPARATA È SODIO.

SODÆ CARBONAS.

℞ Sodæ Carbonatis impuræ libras duas,
Aquæ destillatæ octarios quatuor ;

Coque Sodæ Carbonatem impuram in Aquâ, et adhuc calidam cola. Denique sepone ut fiant crystalli.

SODÆ CARBONAS EXSICCATA.

℞ Sodæ Carbonatis libram ;

Sodæ Carbonati in vase idoneo calorem adhibe, donec exsiccetur, eamque postea usque ad rubedinem ure. Denique in pulverem tere.

SODÆ SESQUICARBONAS.

℞ Sodæ Carbonatis libras septem,
Aquæ destillatæ congiūm ;

Sodæ Carbonatem in Aquâ liqua, et cola ; dein Acidum Carbonicum per liquorem transmittite usque ad saturationem ut subsidat sal. Hunc in linteo involutum et compressum, leni calore exsicca.

SODÆ SULPHAS.

℞ Salis qui restat post distillationem Acidi Hydrochlorici libras duas,
Aquæ ferventis octarios duos,
Sodæ Carbonatis quantum opus est ;

Liqua salem in Aquâ ; tum adjice paulatim Sodæ Carbonatis quod satis sit ad acidum saturandum. Decoque, donec pellicula appareat, et, liquore colato, sepone, ut fiant crystalli. Has, effuso liquore, exsicca.

SODÆ POTASSIO-TARTRAS.

- R Potassæ Bitartratis contritæ uncias sedecim,
Sodæ Carbonatis uncias duodecim,
Aquæ ferventis octarios quatuor ;

Sodæ Carbonatem in Aquâ fervente liqua, et ad-
jice paulatim Potassæ Bitartratem. Liquorem cola ;
tum lenem calorem adhibe, donec pellicula superna-
tet, et sepone, ut fiant crystalli. Has, effuso liquore,
exsicca. Liquorem iterùm consume ut in crystallos
abeat.

LIQUOR SODÆ EFFERVESCENS.

- R Sodæ Sesquicarbonatis drachmam,
Aquæ destillatæ octarium ;

Sodæ Carbonatem in Aquâ liqua ; eique Acidi
Carbonici vi compressi immitte plusquam satis sit ad
saturationem. Liquorem in vase benè obturato
serva.

LIQUOR SODÆ CHLORINATÆ.

- R Sodæ Carbonatis libram,
Aquæ destillatæ fluiduncias quadraginta octo,
Sodii Chloridi uncias quatuor,
Manganesii Binoxydi uncias tres,
Acidi Sulphurici uncias quatuor ;

Sodæ Carbonatem in Aquæ octariis duobus liqua ; tum Sodii Chloridum et Manganesii Binoxydum in pulverem contritum in retortam immitte ; iisque ad-
 jice Acidum Sulphuricum aquæ fluidunciis tribus priùs mixtum et frigefactum. Calefac et Chlorinium primùm per aquæ fluiduncias quinque deindè per Sodæ Carbonatis liquorem suprâ præscriptum trans-
 mitte.

PRÆPARATA È ZINCO.

CALAMINA PRÆPARATA.

Calaminam ure ; tum contere. Deindè fiat pulvis subtilissimus eodem modo, quo Cretam præparari præcepimus.

ZINCI OXYDUM.

R Zinci Sulphatis libram,
 Ammoniaë Sesquicarbonatis uncias sex cum se-
 misse,
 Aquæ destillatæ congios tres ;

Zinci Sulphatem et Ammoniaë Sesquicarbonatem in Aquæ destillatæ octariis duodecim separatim liqua, et cola ; deindè misce. Quod demissum est affusâ sæpiùs aquâ lava et postremò igne acri per horas duas ure.

ZINCI SULPHAS.

℞ Zinci frustulorum uncias quinque,
Acidi Sulphurici diluti octarios duos ;

Zinci frustulis Acidum Sulphuricum dilutum paulatim superinfunde et finitâ effervescentiâ liquorem cola, tum decoque donec pellicula subnascatur. Denique sepone, ut fiant crystalli.

MISTURÆ.

MISTURA ACACIÆ.

℞ Acaciæ contritæ uncias decem,
Aquæ ferventis octarium ;

Acaciam cum Aquâ paulatim instillatâ tere, et
liqua.

MISTURA AMMONIACI.

℞ Ammoniaci drachmas quinque,
Aquæ octarium ;

Tere Ammoniacum cum Aquâ paulatim instillatâ,
donec intimè misceantur.

MISTURA AMYGDALÆ.

℞ Confectionis Amygdalæ uncias duas cum semisse,
Aquæ destillatæ octarium ;

Confectioni Amygdalæ Aquam paulatim inter te-
rendum adjice, donec misceantur ; dein per linteum
cola.

MISTURA ASSAFŒTIDÆ.

℞ Assafœtidæ drachmas quinque,
Aquæ octarium ;

Tere Assafoetidam cum Aquâ paulatim instillatâ,
donec intimè misceantur.

MISTURA CAMPHORÆ.

R Camphoræ drachmam dimidiam,
Spiritus rectificati minima decem,
Aquæ octarium ;

Camphoram primùm cum Spiritu tere, deindè cum
Aquâ paulatim instillatâ, et per linteum cola.

MISTURA CASCARILLÆ COMPOSITA.

R Infusi Cascarillæ fluiduncias septemdecim,
Aceti Scillæ fluidunciam,
Tincturæ Camphoræ Compositæ fluiduncias duas ;

Misce.

MISTURA CRETÆ.

R Cretæ præparatæ unciam dimidiam,
Sacchari drachmas tres,
Misturæ Acaciæ fluidunciam cum semisse,
Aquæ Cinnamomi fluiduncias octodecim ;

Misce.

MISTURA FERRI COMPOSITA.

- R Myrrhæ contritæ drachmas duas,
 Potassæ Carbonatis drachmam,
 Aquæ Rosæ fluiduncias octodecim,
 Ferri Sulphatis contritæ scrupulos duos cum se-
 misse,
 Spiritûs Myristicæ fluidunciam,
 Sacchari drachmas duas ;

Myrrham cum Spiritu Myristicæ et Potassæ Carbonate simul tere, hisque, inter terendum, primum Aquam Rosæ cum Saccharo, deinde Ferri Sulphatem adjice. Misturam statim in vas vitreum idoneum immitte, idque obtura.

MISTURA GENTIANÆ COMPOSITA.

- R Infusi Gentianæ Compositi fluiduncias duodecim,
 Infusi Sennæ Compositi fluiduncias sex,
 Tincturæ Cardamomi Compositæ fluiduncias
 duas ;

Misce.

MISTURA GUAIACI.

- R Guaiaci Resinæ drachmas tres,
 Sacchari unciam dimidiam,
 Misturæ Acaciæ fluidunciam dimidiam,
 Aquæ Cinnamomi fluiduncias novendecim ;

Tere Guaiacum cum Saccharo, deinde cum Misturâ Acaciæ, hisque, inter terendum, Aquam Cinnamomi paulatim adjice.

MISTURA MOSCHI.

R Moschi,
Acaciæ contritæ,
Sacchari, singulorum drachmas tres,
Aquæ Rosæ octarium ;

Tere Moschum cum Saccharo, deinde cum Acaciâ, instillatâ paulatim Aquâ Rosæ.

MISTURA SPIRITÛS VINI GALLICI.

R Spiritûs Vini Gallici,
Aquæ Cinnamomi, singulorum fluiduncias quatuor,
Ovorum duorum vitellos,
Sacchari purificati unciam dimidiam,
Cinnamomi Olei minima duo ;

Misce.

